



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

Liber II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10903

DIPLOMATVM BELGICORVM TOMVS II.

CAPVT I.

Dagobertus I. Francorum Rex mercatum constituit in opido S. Dionysij, prope Lutetiam Parisiorum, anno 630.

DAGOBERTVS Rex Francorum, vir illuster, Leuthoni, Vulfioni, Rauconi, Comitibus, & omnibus Agentibus nostris, Vicarijs, Centenarijs, & ceteris ministris Republicæ nostræ.

Cognoscat sollicitudo & prudentia vestra, qualiter volumus & constituimus, in honore domini & gloriosi patroni nostri DIONYSIJ mercatum constituendo, ad Missam ipsam, quæ erit septimo Idus Octobris, semel in anno, de omnes negotiantes in regno nostro consistentes, vel de ultra mare venientes, in illa strada quæ vadit ad Parisius, in loco qui dicitur Pasellus S. Martini.

Et sciatis nostri Missi ex hoc mercato, & omnes ciuitates in regno nostro, maximè ad Rothomo porto & Wicvs porto, qui veniunt de ultra mare pro vino, melle, vel garantia, emendum: & isto altero anno, seu ante sit ipse teloneus indulitus usque ad tertium annum, & inde in postea de unaquaque quarrada de melle persoluant partibus S. Dionysij solidos duos, & unaquaque quarrada de garantia similiter solidos duos.

Et illi Saxones, & Vngarij, & Rothomenses, & ceteri pagentes de alias ciuitates persoluant de illos nauigios de unaquaque quarrada denarios duodecim, & vultaticos, & passionaticos, per omnes

H h suc-

successiones & generationes illorum, secundum antiquam consuetudinem.

Iubemus etiam, ut ipse mercadus per quattuor septimanas extendatur, ut illi negotiatores de Longobardia, siue Hispania, & de Prouencia, ac de alias regiones illuc aduenire possent.

Et volumus atque expressè præcipimus, ut nullus negotiator in propago Parisiaco audeat negotiare, nisi in illo mercado, quem in honore S. Dionysij constituiimus & ordinamus.

Et si quislibet hoc fecerit, bannum nostrum pro hoc persoluat, ad partem S. Dionysij.

Præcipimus denique & expressè vobis mandamus, omnes Agentes seu iuniores vel successores nostri præsentes & venturi, ut nullum umquam impedimentum pars S. Dionysij habeat ex parte nostra & vestra, neque intra ipsa ciuitate Parisus, neque ad foras in ipso pago: teloneos, vel nauigios, portaticos, riuaticos, rotaticos, vultaticos, themonaticos, cespitaricos, pulueraticos, foraticos, mestaticos, laudaticos, saumaticos, salutaticos, omnia & ex omnibus quidquam ad partem nostram, vel fisco publico, de ipso mercado ex ipsa mercimonia exactare potuerit, pars S. Dionysij vel sui agentes in perpetuo habeant, per hanc nostram indulgentiam & auctoritatem.

Et ut hæc nostra præceptio de ipso loco nostris & futuris temporibus firmior habeatur, manus nostræ subscriptionibus eam subter decreuimus roborare, & de annulo nostro sigillare iussimus.

Ego DAGOBERTVS Rex subscripsi. DADO obtulit.

630. Datum die tertia Kalendas Augusti, anno secundo regni Dagoberti, Compendio, feliciter in Dei nomine, amen.

N O T A T I O.

Dagoberti, Francorum & Austrasiorum Regis, diploma, et si barbarum, si dictiōnēm spēctes, tamen pium & antiquorum vocabulorum plenum, hic visum fuit ob oculos ponere; ut illius auct̄ilum & pietatem agnoscamus ac veneremur.

C A P V T

C A P V T I I .

*Dagobertus I. Francorum Rex possessiones ecclesiæ metropolitane
Treuerensis confirmat.*

DAgobertus Rex Francorum viris illustribus, Ducibus, Comitibus, domesticis & omnibus Agentibus tam ultra quam citra Rhenum, & ultra Ligerim, tam absentibus quam presentibus.

Illud ad augmentum & stabilitatem regni nostri sine dubio in Dei nomine credimus pertinere, si sacerdotum vel Ecclesiarum Dei rectis petitionibus inclinati, id quod auribus nostris patefecerint, perducimus ad effectum.

Ideo nouerit omnium fidelium nostrorum sagacitas, quia vir Apostolicus pater noster dominus Modovvaldus, Archiepiscopus ecclesiæ Treuericæ, obtulit obtutibus nostris præceptionem prædecessorum anteriorum Regum, parentum nostrorum, Sigeberti, Theodeberti, imoque bona recordationis Lotharij gloriofi Regis, genitoris nostri, eorum manibus roboratam.

In qua erat insertum, quod non solum idem genitor noster, verum etiam præfati prædecessores eius, Reges videlicet Francorum, omnes res quascumque boni & sancti viri, pro diuinæ contemplationis intuitu, ad partem S. Petri, Treuerensi ecclesiæ delegauerunt, suis auctoritatibus confirmauerant, quatenus eorum regnum superno auxilio tueretur, & ipsi postmodum in æthereo regno, cum Christo fine carente, gauderent.

Pro rei vero firmitate idem præfatus Præsul Modovvaldus deprecatus fuit sublimitatem nostram, ut paternum ac prædecessorum morem sequentes, huncmodi nostræ auctoritatis præceptum, ob amorem Dei & reverentiam S. Petri, de ijsdem rebus fieri iubemus. Cuius petitioni libenter assensum præbuiimus, & hoc nostræ auctoritatis præceptum erga ipsam ecclesiam, pro diuinæ cultus amore, & animæ nostræ remedio, fieri decreuimus.

Per quod præcipimus atque iubemus, ut omnes res vel facultates ad ecclesiam beati Petri Treuericæ urbis pertinentes, scilicet Cellam S. Hilarij, quæ nunc appellatur Cella S. MAXIMINI, quæ est in prædio S. PETRI constructa, & Cellam S. PAVLINI & S. Encharij,

Hh 2

&

& monasterium S. Mariæ, quod idem præfatus Pontifex Modo-
vvaldus, in territorio S. Petri nuper à fundamento construxit, quod
vocatur HORREA, & basilicam S. MARTINI, sitam in pago Maigi-
nense, & ceteras basilicas, castella, vicos, villas, vineas, filias, ho-
mines, vel quidquid, largiente diuina clementia, deinceps ad eam-
dem augmentetur ecclesiam, circa Rhenum & Ligerim fluuium, in
regno nostro consistentia, omnia sub iure & potestate S. Petri Tre-
uerensis ecclesiæ, eiusque Pontificis, perpetualiter mancipata per-
maneant.

Præterea pari modo statuimus etiam, vt nullus ex publicis ju-
dicibus vel aliquis ex iudicaria potestate in monasteria, ecclesiæ,
castella, vicos vel agros, loca seu reliquas possessiones prædictæ ec-
clesiæ, tam ultra quam citra Rhenum vel Ligerim fluuium, in pa-
gis vel territorijs, quæ infra potestatem regni nostri memorata pos-
sident ecclesia, vel quæ deinceps in iure ipsius sancti loci voluerit
diuina potestas augeri, ad cauſas audiendas, vel freda vel tributa,
aut coniectos aliquos exigendos, aut mansiones vel paratas facien-
das, aut fideiūſſores tollendos, aut homines ipsius ecclesiæ distrin-
gendos, vel iniustas exactiones requirendas, vel teloneum exigen-
dum, nostris & futuris temporibus, ingredi audeat, & ea quæ supra
memorata sunt nequaquam penitus exigere præſumat.

Sed liceat memorato Præſuli suisque successoribus omnia præ-
fata monasteria, villas, vicos & castella, cum suis adiacentibus, in
integrum perpetuo tempore, pro remedio animæ nostræ, seu pa-
rentum nostrorum, sicut in præcepto piissimi genitoris nostri con-
tinetur, quieto ordine possidere, & nostro fideliter parere imperio.

Sed vt hoc nostræ auctoritatis præceptum pleniorē in Dei no-
mine obtineat vigorem, & à fidelibus sanctæ ecclesiæ Dei ac nostris,
videlicet præsentibus & futuris temporibus verius credatur, & dili-
gentius à successoribus nostris conseruetur, eapropter id manu
propria, cum liudis nostris super firmauimus, & annuli nostri im-
pressione signari iussimus.

DAGOBERTVS Rex Francorum.

Cunibertus gratia Dei Colonensis Episcopus.

Abbo Metensis Episcopus.

Principius Spirensis Episcopus.

Pippinus Maior domus.

NOTA



N O T A T I O .

De SS. Maximino, Modoaldo, Paulino & alijs fusè egimus in Fastis nostris Belgicis.

C A P V T I I I .

Horreensi Virginum monasterio apud Treueros dat priuilegium Leo Papa II. circa annum 682.

Ego LEO Vicarius S. Petri Principis Apostolorum, meritis quidem impar, vice tamen ipsius dignitate Romani fungens præfulatus, cœnobium HORREENSE à MODOVALDO Treuerorum Archiepiscopo, subministrante beata MODESTA, filia fororis eius, è regalibus horreis, à quibus & nomen accepit, ad diuini cultus officium restaurandum, post discessum beatæ virginis IRMINÆ, quæ prima hunc locum prouehendum suscepit, tantâ reuerentia & honore apprimè donatum accepimus, ut matre istius congregationis vita excedente, nulla ab extraneis quocumque modo, sed una ex ipsis subrogetur, Principibus ecclesiae Treuerensis ex consulo fauentibus, sororibus electione potitis, ipso quoque Præfule deuotè annuente.

Quod tanta auctoritate subnixum, vt in æternum stabile permaneat & fixum, in nomine Iesu Christi Domini nostri, sanctique prædecessoris Petri, & omnium electorum Dei, æterno seruetur damnandus iudicio, si quis Prælatus tanto hic commorantes exinanuerit priuilegio. Fiat, fiat, amen, amen.

N O T A T I O .

De S. Irmina, Dagoberti Francorum Regis filia, Martyrologio Rom. inscripta, in Fastis & Annalibus Belg. tractauimus.

H h 3

C A P V T

C A P V T I V.

S. Irmina, Dagoberti I. Francorum Regis filia, dicitur S. Willibordo, Episcopo Ultraiectino, medietatem Epternaci opidi, in Ducatu Lutzeburgensi nunc siti, itemq; basilicas a se ibidem adificatas, cum varijs predijs, anno 698. aut 699.

Dominio sancto ac venerabili in Christo patri **WILLIBORDO** Episcopo **IRMINA**, in Christo Deo sacrata Abbatissa.

Dum ab omnibus non habetur incognitum, quod ego, inspirante misericordia Christi, pro consilio virorum Apóstolicorum, patrum nostrorum, domini Basini & domini Leotvini, Episcoporum, seu & pro consensu sacerdotum nostrarum Christo seruientium, quæ nobiscum sunt congregatæ, basilicas in nomine S. Trinitatis, vel in honore gloriosissimæ virginis Mariæ, genitricis Domini nostri Iesu Christi, seu & beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli, vel cæterorum Sanctorum,

In villa mea propria, quæ vocatur **EPTERNACVS**, sita super fluvio Sura, seu & monasteriolum ibidem ad monachos peregrinos conuersandum, vel..... pauperes ibidem alimoniam petendum, pro diuino respectu, vel pro animæ meæ remedio construxi; & dum sanctitas & dilectio vestra erga me vel monasterium meum assidue agitur:

Igitur decreui apud animum meum, ut vos de rebus meis proprijs in aliquo consolari deberem; quod ita spontanea voluntate feci. Idcirco dono vobis, donatumque esse volo, memoratas basilicas Sanctorum, ad gubernandum vel dominandum.

Itemque dono vobis ad supradicta loca Sanctorum, portionem meam in ipsa villa **EPTERNACO**, hoc est, quantumcumque ex successione paterna vel materna mihi obuenit, tam in domibus quam ædificijs, mansis, mancipijs, vineis, terris, campis, pratis, siluis, pastuis, aquis aquarumque decursibus, seu & pastores vaccarios, porcarios, veruecarios, cum gregibus eorum, vel cum appenditijs suis, id est, Baidalingo, Mathofouillare, vel portionem nostram in Oxiumillare;

uillare; exceptis hominibus illis, quos per epistolas nostras ingenuos relaxauimus.

Similiter dono vobis, vel ad supradictas basilicas, vineæ pedecu-
ram vnam in monte Viennensi, cum vinitore, nomine Alitfrido,
cum omni peculiari suo.

Ista omnia, ut dixi, ad ipsa loca Sanctorum, vel vobis, à die præ-
senti, tradimus atque transfundimus, ad gubernandum vel ad domi-
nandum: ea ratione, ut quidquid de re superius memorata in Dei
nomine facere volueritis, liberam & firmissimam in omnibus ha-
beatis potestatem.

Nam si quis contra hanc chartulam donationis meæ venire ten-
tauerit, inferat fisco auræ libras decem, argenti pondo viginti, ma-
nente nihilominus firmitate.

Aetum Treueris, sub die Kalend. Nouembris, anno IV. domi-
ni nostri CHILDEBERTI Regis.

Ego Huncio in Christi nomine presbyter hanc chartulam dona-
tionis, iubente domina mea Irmina, perscripsi: & ipsa subter manu
propria, vna cum testibus, firmauit, & qui subscripterunt, in præ-
senti rogauit.

Ego IRMINA in Christi nomine hanc donationem relegi.

BASINUS Episcopus.

LEODOVINUS Episcopus.

THEODEFRIDUS presbyter.

WALTHARIUS diaconus.

GANGBERTUS presbyter.

HUDOBERTUS presbyter.

NOTATIONES.

DE S. IRMINA) Abbatissa ac fundatrice monasterij Horreensis
in yrbe Treuerensi, itemque de S. Willibrordo fusè differui in Fa-
stis & Annal. Belgicis.

BASINVS) primum Abbas S. Maximini Treuerensis, post Archie-
piscopus Treuerensis.

LEODUVINVS) seu Leodevvinus, nisi fallor, fuit auunculi sui Ba-
sini successor in Episcopatu seu Archiepiscopatu Treuerensi: quem
alij nuncupant Leduuium seu Lutuuium, & scribunt fuisse Ab-
batem

batem ac fundatorem monasterij Mediolacensis. Viuente autem auunculo suo, potuit Leodev inus seu Leduinus fuisse Episcopus, ad conuerzionem gentilium ordinatus, more illius æui.

VIENNENSI monte,) Designatur Vianen seu Vianden opidum, in ditione Luxeburgensi, Comitatus titulo clarum, ad gentem Nasauiam pertinens: ut suprà pag. 209 dixi.

SVB DIE kal. Nouembris.) Theofridus Abbas Epternacensis, in ms. historia S. Willibrordi, dicit, in Kalendis Decembris.

ANNO IV. Childeberti,) Annus quartus Childeberti Regis occupat partim annum Christi 698. partim annum 699.

Ceterum Irmina dedit S. Willibrordo portionem suam in villa Epternaco, hoc est, medietatem opidi Epternacensis: cuius epidemuris inclusa est illustris Abbatia monachorum Benedictinorum, S. Willibrordi nomine & sacris ossibus clara.

Alteram dicti opidi medietatem Pipinus Herstallius, Maior dominus regiae, dedit eidem S. Willibrordo, anno XII. regni eiusdem Childeberti: ut citato loco idem Theofridus narrat.

C A P V T V.

*Childebertus Francorum Rex Solemum, agri Fanimartensis villam, dat monasterio S. Dionysij in Francia,
anno 705. aut 706.*

CHILDEBERTVS Rex Francorum, vir inluster. Si aliquid ad loca Sanctorum vel monasteria, quæ pro opportunitate locis Sanctorum pertinent, præstamus vel concedimus, hoc nobis ad laudem & æternam retributionem, in Dei nomine, profuturum confidimus.

Igitur cognoscat magnitudo seu utilitas omnium tam præsentium quam futurorum, quod nos villa nostra nuncupata SOLEMIO, quæ ponitur in pago Fanimartinse, super fluvio Saue, vna cum omni mercato vel adiacentia sua, & quidquid fiscus noster tam de garantia quam de merceria ibidem tenuit, vel de qualibet constuma ibidem possiduit, etiam & oratorio illo ad Crucem, quæ subiungit, ab ipso termino de ipsa villa Solemio, quæ est constructa in honore S. Martini, cum omnibus suis, quæ ibidem adspiciunt, ubi MADAL-

GISELVS

ETIS ELVS seruus noster custos præesse videtur, id est, iam terris, domibus, ædificijs, accolabus, mancipijs, vineis, siluis, campis, pratibus, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, peculijs, præsidij, gregibus & pastoribus, farinarijs, mobilibus & immobilibus, re exquisita ad integrum, ut diximus, quidquid ad ipsam villam adspicere videtur, & usque nunc ibidem Fiscus noster fuit, ad basilicam domini Dionysij martyris, ubi ipse pretiosus dominus in corpore requiescit, ubi venerabilis vir CHIL A RDVS Abba præesse videtur, ut diximus, cum omni integritate ad ipsam villam pertinente vel adspiciente, plena & integra gratia, iure proprietario, sub emunitatis nomine, tum omnes redhibitiones sibi concessas, ad opus ipsius domini Dionysij, vel omnis congregationis sua ibidem consistentis, sicut visi fuimus sibi concessisse, adeoque per præsentem præceptionem decernimus ordinandum, quod in perpetuum volumus esse mansurum,

Vt neque vos, neque juniores seu successores vestri, nec quilibet de iudicaria potestate de prædicta villa Solemio, sicut usque nunc Fiscus noster sperare potuit, ad partem prædictæ basilicæ domini Dionysij, nec ad agentes suos, nulla repulsione, nec ullum impedimentum exinde facere non præsumatis, sed, ut diximus, ex munere nostræ largitatis ipsa villa SOLEMIVS cum omnibus integratur vel solidetur, vna cum adjacentijs suis ad se pertinetibus vel aspicientibus, unaque cum supra scripto oratorio S. Martini ad Crucem, cum eo quod ibidem adspicitur, pars ipsius basilicæ domini Dionysij, vel omnis ipsa Congregatio sua, omni tempore, sub emunitatis nomine, iure proprietario, absque cuiuslibet refragatione aut impedimento habeat: utque concessa atque indulta ad ipsam basilicam domini Dionysij martyris, & futuris, Deo auxiliante, temporibus proficiant in augmentis.

Et ut hæc præceptio firmior sit, manus nostræ subscriptione subter eam decernimus roborare.

Signum CHILDEBERTI Regis.

Cancellarius Bralomo, iubente domino Rege, subscripsit.

Datum Confintisce, Martij die XII, anno vero XII, regni nostri: 705. ann.

Mamarctas in Dei nomine recognovit feliciter, amen. 706.

N O T A T I O N E S .

Diploma istud Childeberti II. Regis Francorum recitavit Iacobus

I

bus

bus Guisius in mss. Hannoniae Annalibus, & Iacobus Doubletius in Historia Abbatiae S. Dionysij in Francia, Parisijs an. 1625. edita.

Childebertus porrò an. 694. regnare cœpit, & an. 711. viuere deſiit. Quo regnante, hoc est, circa an. 697. S. Willibrordus fuit creatus Frilonum Archiepiscopus: ut Beda tradit in Hist. Anglorum.

SOLEMIVS) vel Solennus villa in pago Fanomartensi, est hodie vicus Hannoniae, vulgo Solemes nuncupatus.

De Fano Martis, Famars, & pago Fanomartensi seu Fanomartini, vide supra to. I.

AD CRUCEM.) Crux Hannoniae vicus, Gallicè *la Creix*.
CHILARDVS Abbas) Iac. Guisio Tailardus.

C A P V T VI.

Carolus Magnus Rex Francorum, & post Imperator, Lindiniam Batavia villam dat cathedrali ecclesia Ultraiectina, S. Martino sacra, an. 780.

CAROLVS Dei gratia Rex Francorum & Langobardorum ac Patritius Romanorum... Si enim ex his, quæ diuina pietas nobis largire dignata est, locis venerabilibus concedimus, hoc nobis ad æternam beatitudinem procul dubio pertinere confidimus.

Ideo competitum sit omni fidelium nostrorum magnitudini, qualiter donamus ad basilicam S. Martini, quæ est constructa Traiecti veteris, subter Dorestadum, ubi venerabilis vir ALBERICVS presbyter, atque electus Rector præesse videtur, hoc est, villam nostram nuncupatam LINDINIANAM, in pago qui vocatur Flerier, super alueum Heym, cum omni integritate, vel adjacentijs seu appendicijs suis, id est, terris, mansis, domibus, ædificijs, mancipijs, filiis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, mobilibus & immobilibus, omnia & ex omnibus, quantumcumque WIGGERIVS Comes ibidem, per nostrum beneficium tenuit.

Etiam & forestes illas, quartum vocabula sunt, Henscoten, Steenbese..... VIDOC, quæ sunt de ambabus partibus Heym.

Similiter donamus ad ecclesiam S. Martini, quæ est subter Dorestadum

testadum constructa, & . . . de omniq[ue] parte centum perticās de terra, & omni tempore prædicta basilica spatiū terræ centum perticarum habere debeat, & Ripaticum illum super lacū, & insulam illam proximè ipsam ecclesiam, ad partem orientalem; inter Reind & Lacum. Hæc nos omnia tradimus a die præsenti ad præfata sancta loca perpetualiter, ad possidendum.

Ideo hæc auctoritatis nostræ . . . scribere iussimus, vt ab hac dictam memoratus ALBERICVS presbyter, sive sui successores, qui fuerint Rectoris eiusdem sancti loci prædicti, ad opus iam dictæ ecclesie habeant, teneant, gubernent, regant atque disponant, & quidquid exinde ad præfatum Præfectū ipsius sancti loci facere elegerint, libero perficiant arbitrio, & nullus quislibet de iudicaria qualibet persona prædictum Albericum presbyterum, neque successores suos, de iam dictis rebus inquietare, aut contra recognitionis ordinem vel calumniam generare quoquo tempore prælumat, sed per nostrorum largitatem præceptorum prædicta basilica iure valeat obtinere, firmissime.

Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, vel diuturnis temporibus conferuerit, manu propria subter eam decreuimus roborare, vel de annulo nostro iussimus sigillari.

Signum CAROLI glorioſissimi Regis. Datum VII. Idus Iunij, 780.
anno IX. eiusdem glorioſissimi. Actum Numagi in palatio publico,
in Dei nomine feliciter.

N O T A T I O N E S.

S. MARTINI) basilica est cathedralis in Traiecto inferiore, ad veterem Rheni alueum, quod hodie Ultraiectum vocavit, Vtrecht.

DORESTADVM) seu Dorestatum, Wyck te Duerstede, opidum directionis Ultraiectine ad cumdem Rheni veterem alueum.

S. ALBERICVS seu Albricus) Episcopus Ultraiectinus, à nobis laudatur in Fastis Belg. 14. Nou.

LINDINIA) vulgo Linden, vicus Bataviae seu Bettia: à quo nomen induit nobilis familia Lindana, De Linden: cuius Annales genealogicos R. P. Christophorus Butkens Gallice anno 1616. edidit Antwerpiae.

HEYM) postea dictum est Heymberch.

NVMAGI) seu Neomagi ad Vahalim fl. in Geldria Carolus
Magnus Imp. palatum ædificauit, teste Eginharto. Ibidem Pascha
an. 777. celebrauit, Reginone teste.

C A P V T VII.

*Ludouicus Pius Imp. Blandinense S. Petri monasterium
iuxta Gandavum an. 815. in protectionem suscipit,
petente Ainardo illius loci Abbe.*

In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. **L**UDOVICVS diuina
prudentia Imperator Augustus.

Si erga loca diuinis cultibus mancipata, propter amorem Dei,
eisque in eisdem locis sibi famulantibus beneficia oportuna largi-
munt, præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis re-
pendi non diffidimus.

Proinde nouerit omnium fidelium nostrorum, tam præsentium
quam & futurorum solertia, quia vir venerabilis Abbas Ainardus,
ex monasterio Blandinio, quod est construētum in honore SS. Apo-
stolorum Petri & Pauli, quod est situm in pago Gandensi, super
fluum Scaldim, obtulit obtutibus nostris immunitatem domini
& genitoris nostri CAROLI, bonæ memorie, piissimi Augusti;

In quo inuenimus insertum, qualiter idem genitor noster, &
antecessores Reges, præfatum monasterium, propter diuinum amo-
rem & reuerentiam diuini cultus, semper sub plenissima defensio-
ne & immunitatis tutione habuissent.

Ob firmatatem tamen rei, postulauit nos prædictus Ainardus
Abbas, ut eamdem auctoritatem, ob amorem Dei & reuerentiam
SS. Apostolorum Petri & Pauli, nostra quoque confirmaremus au-
toritate.

Cuius petitioni libenter acquiecamus, & hoc nostræ auctoritatis
præceptum, erga ipsum monasterium fieri iussimus: per quod iussi-
mus atque præcepimus,

Vt nullus fidelium nostrorum, vel quilibet ex iudicaria potesta-
te in ecclesiis, aut loca vel agros seu reliquas possessiones memora-
ti monasterij, quas moderno tempore infra ditionem Imperij nostri
iuste & rationabiliter possidet, vel ea quæ deinceps à catholicis viris
eidem

eidem collata fuerint monasterio , ad caussas audiendas , vel frena
 aut tributa exigenda, aut mansiones vel paradas faciendas, vel fide-
 iussores tollendos, aut homines eiusdem monasterij , tam ingenuos
 quam seruos, super terram ipsius commanentes, inustè distringen-
 dos, nec vllas redibitiones aut illicitas occasiones requirendas, no-
 stris aut futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memo-
 rata sunt penitus exigere præsumat:

Sed liceat memorato Abbatii suisque successoribus , res præfatæ
 monasterij sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine possi-
 dere, & quidquid Fiscus exinde sperare poterit, totum nos pro æter-
 na remuneratione præfato monasterio concedimus, ut in alimo-
 niam pauperum & stipendia seruorum, ibidem Deo famulantium,
 perenniter proficiat in augmentum;

Quatenus ippos seruos Dei, qui ibidem Deo famulantur, pro no-
 bis & coniuge proleque nostra , atque stabilitate totius Imperij no-
 stri à Deo nobis concessi atque conseruandi, iugiter Dominum ex-
 orare delebet.

Et ut hæc auctoritas à fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris
 verius credatur, & diligentius conseruetur, manu propria subter
 firmauiimus, & annuli nostri impressione muniri iussimus.

Signum Ludovici serenissimi Imperatoris.

Helizachar recognoui, & notaui.

Data IV. Nonas Iunij, Christo propitio, anno II. Imperij do- 815.
mini Ludouici piissimi Augusti, Indictione VIII.

Aetum Aquisgrani, palatio regio, in Dei nomine feliciter, amen.

N O T A T I O N E S.

AINARDVS,) an non idem Eginhartus, qui vitam Caroli Magni
stilo eleganti conscripsit?

BLANDINIO.) Iuxta Ganduum in monte Blandinio (cuius pe-
dem Scaldis alluit) S. Amandus Tungrensis seu Traiectensis ad Mo-
lam Episcopus, vir Apostolicus, illustre monasterium, dotante Da-
goberto I. Francorum Rege, in honorem SS. Petri & Pauli constru-
xit: quod Benedictini hodie incolunt.

Idem alterum monasterium apud Gandenses constituit, dotante
BAVONE, Comite illustri; quod nunc est cathedralē Canonicorum
S. Bauonis collegium.

I i 3

C A P V T

C A P V T V I I I .

*Ludouicus Pius Imp. dat Maricolenſi monaſterio, in Han-
nonia ſito, villam Saſſigniacam, an. 821.*

Rege Regum ac Domino dominantium disponente, & ordi-
nante ac auxiliante, LUDOVICVS Rex Francorum omnibus
sanctæ Dei Ecclesiæ ſuique regni fidelibus.

Notum fore volumus instantis æui & futuri Deo nobisque deuo-
tis fidelibus, noſtræ Celsitudinis expertiſſe preeſentiam nobis cariſ-
ſimum Comitem ARNULPHVM, ac ſubieciſſe, quomodo noſtra pie-
tate concederemus S. Humberto confessori aliquam villam, famu-
lis prädicti Sancti congruam.

Praefati igitur nobis dilectiſſimi Comitis Arnulphi pio & vtili
hortatu compulsi, magis magisque animo commoti, agnoſcentes
profuturum nobis eſſe ac regno, ſi de rebus noſtris loca Sanctorum
honoraremus;

Idcirco tradimus ad monaſterium, quod dicitur MARICOLAS,
quod eſt constructum in sanctæ Dei genitricis Mariæ, quoque Apo-
ſtolorum Petri & Pauli nomine atque honore, vbi etiam iam dicitus
dominus confessor Humbertus quiescit corpore, in pago Hainoenſi
super fluuiο Sambra, villulam nomine Saſſignacas, mansos XXII,
habentem, cum ecclesia, ædificijs, culturis, pratis, filiis ac manci-
pijs, & omnibus ibi adſpicientibus, ſub testimonio fidelium noſtro-
rum, loco supradicto transfirmamus, atque perpetualiter habenda
regali auctoritate concedimus.

Ne ergo noſtri aliquis ſucceſſor, alicuius maliuoli ſuſurratione
corruptus..... quia, vt scriptum eſt, Corruſpunt colloquia mala
mores bonos, iuſſimus noſtræ benignitatis dignum opus litteris
mandari: ne quis tyrannus vel..... prädicti cœnobij vñquam au-
deat auferre fratribus illic ſeruientibus res ſcilicet prälibatas, ſed in
eorum potestate perpetuò & ſeruitio, abſque ullius murmuſe.....

Et vt hæc noſtræ largitionis charta maiorem ac firmiorem per
diuturna tempora obtineat ſtabilitatem, nomine eam proprio de-
creuimus ſirmari, & decretum regale annulo noſtræ auctoritatis
ſigillari.

Actum

A&um Aquisgrani, palatio regali, anno V. Imperij Ludouici 821.
piissimi Augusti, Indictione XIII. Kalendis Maij.

N O T A T I O N E S .

Iac. Guisius in mss. Hannoniæ Annalibus lib. 14. cap. 23. diploma istud recitat.

S. H Y M B E R T U S , in peregrinatione Romana & prædicatione Euangelica fuit socius S. Amandi Tungrensis Episcopi ; & quiescit in Maricolenſi cœnobio , à ſe fundato : vt cap. 10. Cod. & in Fastis Belg. explicui.

MARICOLAS) vulgo *Maroilles*, in Hannonia.

HAINOENSIS vel Haginoensis pagus ,) vulgari lingua *Le pays de Hainau*, Latinè Comitatus Hannoniæ, nomen accepit ab Haina vel Haginoa fluuiο , qui prouinciam interſecat , & illius metropolim, Montes Hannoniæ nuncupatam, perluit.

S A M B R A fluuius, Iul. Cæſari Sabis, *Sambre*, Moſæ miscetur Namurci.

C A P V T I X .

Ludouicus Pius Cæſar, petente Iuditha coniuge ſua, Ifernam & Thorenselam, villas monaſterij Rotnacensis, an. 831. concedit Hildefrido viro nobili.

IN nomine Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi. LOVDVICVS, diuina ordinante clementia . . . omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostris, præsentibus ſcilicet & futuris, notum eſſe volumus;

Quia dilecta coniunx noſtra IUDITHA ſuggeſſerit Serenitati noſtræ, pro quodam homine ſuo, nomine HILDEFRIDO, vt ei per noſtræ auctoritatis conſcriptionem . . . illud quod pater ſuus noſme Luitfredus, ex rebus monaſterij, quod dicitur RODENACVM, per conſeſſionem & mansuetudinis largitionem diu habuit,

Id eſt, villam quæ dicitur Iferna, cum molendinis duobus, & aliam villam quæ dicitur Thorensel, cum territorijs & ſluis, aquarum

rum decursibus, & de eodem foresto, qui est in Iserna, ad porcos XV. dum ad viuet, similiter per nostræ concessionis confirmationem habere debuisset,

Eius quoque suggestioni libenter annuimus, & hanc nostræ auctoritatis conscriptionem fieri, eidemque Hildefrido dare decreuimus.

Per quam omnibus Rectoribus eiusdem monasterij, præsentibus scilicet & futuris, præcepimus, vt nullus eorum licentiam habeat memoratum beneficium ab eodem Hildefrido auferre, aut eum exinde qualibet occasione priuare, atque dispoliare:

Sed liceat ei Abbat, cum omni integritate, diebus vita sua, eum habere & possidere, ita vt ad Missam S. Martini per singulos annos pastibus memorati monasterij de argento solidum vnum perfoluat.

Si de ipso centu negligens inuentus fuerit, cum lege sua eum restituat, & ipsum beneficium non amittat.

Post suum autem discessum, pars præfati monasterij, absque reliquo personæ consignatione, in suam faciat reuocari potestatem.

Et vt hæc auctoritas nostræ præceptionis firmior habeatur, & à fidelibus atque successoribus nostris melius conseruetur, de annulo nostro subter iussimus sigillari.

MEGINARIUS Notarius, ad vicem Theotonis, recognoui.

831. Data II. Kalendas Februarij, anno, Christo propitio, decimo octavo Imperij domini Loudouici, serenissimi Imperatoris Augusti.

N O T A T I O.

RODENACVM) hodie Rotnacum, Flandris Roncen, Gallis Erny, amplum Comitatus Flandriæ municipium, in diœcesi Mechlinensi. In quo est

MONASTERIUM quod dicitur Rodenacum) hodie Canonicorum collegium opulentum, à S. Amando Tungrensi Episcopo incohatum (vt Baldericus in Chron. Cameracensi lib. 2. tradit) & à Lothario Cæsare, post monacho Prumiensi, prædijs auctum: vt ex Faſtis & Annal. nostris Belg. constat.

ISERNA) La cense d'Iserie, prope Athum.

CAPUT

C A P V T . X.

*Lotharius Lotharingiae Rex primus, Lotharij Imp. filius, anno 860.
dat monasterio S. Dionysij in Francia, & diaœcœsi Parisiensi,
mansum vnum ex fisco Valentianensi.*

IN nomine omnipotentis Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi.
HLOTHARIUS diuina præueniente clementia Rex.

Nouimus religione Christianitatis imbuti, omnia quæ ex facultatibus nostris, ob honorem & reuerentiam gloriosorum martyrum, sacris conferimus locis, ad sempiternam pertinere beatitudinem; eorumque pijs interuentionibus nos in præsenti sœculo suffragari, & à proprijs ab olui delictis, minimè dubitamus.

Comperiat itaque omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium ac nostrorum, præsentium videlicet futurorumque industria, quia Wernodus, fidelis excellentiæ nostræ ministerialis, nec non & Deodatus, monachus & Archicustos ecclesiæ S. Dionysij, ubi idem inclytus martyr Christi corpore veneratur, ac Hludouicus, dilectus consanguineus noster, Abba & rector esse videtur, implorauerunt sublimitatem nostram:

Quatenus eidem ecclesiæ ac B. Dionysio, aliquantulum ex rebus nostræ proprietatis, ad lumenaria ipsius procuranda, more solito, per præceptum magnitudinis nostræ roboratum, concederemus in proprium.

Nos igitur saluberrimis implorationibus illorum assensum culminis nostri præbentes, hos regiae dignitatibus imperauimus apices fieri, per quos sancto & glorioſissimo Dionysio martyri, seu venerabili loco, quo idem conditus habetur, in pago nuncupante Fanomartinse, super fluuium qui vocatur Scaltus, mansum vnum ex fisco nostro Valentianas, quem Valentinus nomine Filcealinus ad defervendum possidet, ipsumque cum uxore sua, & infantibus illorum, ob amorem omnipotentis Dei ac beatissimi Dionysij reuerentiam, seu emolumentum animæ nostræ, ad proprium largimur, iure perpetuali inibi mansurum, ac de iure nostro & dominatione in potestatem ipsius loci tradimus atque transfundimus:

Quatenus per hoc eminentia nostræ præceptum, præscriptas res
K k &

& mancipia iam fata ecclesia B. Dionysij perpetuis teneat atque posse
fideat temporibus; faciatque iure proprietario quidquid elegerit vel
voluerit deinceps, sine cuiuslibet inquietudine aut repetitione.

Teloneum insuper ex iam dicto manso, cum riuatico suo, conce-
dimus, ut exinde & ex dominio memorata ecclesia S. Dionysij, siue
Congregationis inibi Deo regulariter famulantis, nullatenus telo-
neum à quolibet exigatur.

Et ut hæc nostræ largitionis concessionis auctoritas futuris tem-
poribus inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria subterfir-
mauimus, & annuli nostri impressione iussimus assignari.

Signum HLOTHARTII gloriosissimi Regis.

Ego ERICAMBOLDVS, Regiæ dignitatis Cancellarius, recogno-
ui & subscripsi.

860. Data VII. Kalendas Februarij, anno, Christo propitio, regni
domni Hlotharij gloriosi Regis quinto, Indictione octaua.

Actum VALENTIANAS, palatio regio, in Dei nomine feliciter,
amen.

N O T A T I O N E S.

HLOTHARIVS) seu Lotharius, à quo Lotharingia nomen accepit,
Lotharij Imp. post monachi Prumiensis filius, primus Lotharingiæ
Rex, ex Theutberga coniuge liberos non sustulit. Ex Waldrada
concubina reliquit Hugonem, & Gislam siue Giselam, Godefrido
Normannorum Regi nuptam. Obiit an. 869. Placentiæ.

IN PAGO Fanomartinse seu Fanomartensi, ad Scaldum seu Scal-
dim fluuum. Fanum Martis, hodie *Famars*, vicus est Hannoniæ, pro-
pe Valentianas. Pars urbis Valentianensis, nobis Brabantis cis Scal-
dim, est in pago Fano-martensi, ac diœcesi Cameracensi. Altera
pars, nobis trans Scaldim, est in pago Ostrouandenſi ac diœcesi A-
trebatensi, & subest Archidiacono Ostrouandia.

VALENTIANÆ) seu Valentinianæ, à Valentiniano Imp. sic dicitur;
olim palatum regium (ut ex recitato diplomate liquet) nunc urbs
mercatu celebris ad Scaldim, proprios quondam Comites habuit,
in his Arnulfum, de quo infra dicemus. Hodie vulgo pars Han-
noniæ censetur.

CAPVT



C A P V T X I.

Carolus Calvus Francorum Rex, Stephano Cameracensi & Atrebatensi Episcopo, eiusque successoribus, an. 863. concedit legam iustitiae disciplinam in ciuitate Atrebateni, & teloneum ac monetæ officinam in Lambris, petentiis Isaaco & Sigardo Comitibus.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. CAROLVS diuina propitiante clementia Rex Francorum. Si nostrorum petitiones fidelium benignè suscipimus, eorum procul dubio animos in nostra fidelitate solidamus.

Quapropter omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, tum præsentium tum & futurorum, religiositas nouerit, quoniam adeentes nostra dignitatis præsentiam, ISAAC & SIGARDVS, Comites, humiliter precati sunt, vt concedemus ciuidam Cameracensis ecclesiæ Præfuli, venerabili viro nomine STEPHANO, eiusque successoribus omnem, quam regia Maiestas habet potestatē, scilicet legalis iustitiae disciplinam, excepto dumtaxat stipite, quo Comitis industria, mallo accersito, iustitiam Dei & Regis regaliter habet exhibere, in quodam loco iuxta ac cis castrum trans fluuiolum, qui dicitur Criencio, ad eam scilicet plagam, qua ecclesia beatæ genitricis Mariæ sita est, infra vnius leucæ vndique spatum.

Quorum omnino petitionibus..... annuendo concessimus, sed in eiusdem castri pago, villa quæ fertur Lambris, ultra citraquæ fluminis ripam, quod dicitur Scarpus, totum eiusdem villæ prædium, & ultra quantum arcus iacere potest vndique, at teloneum (si quod ibidem fortè debetur) sed & aduenas eo loci commorantes, atque monetæ officinā simili modo donamus; vt amodò & in perpetuum modò dictos locorum ambitus, sub immunitatis nostræ tutela ac defensione, Deo dilectus & nobis fidelis iam dictus Episcopus, eiusque successores, quieto ordine, absque ullius contradictione personæ, perpetuò possideant, & excepta omnium inquietudine Deo seruant, ac proprijs utilitatibus vacent, atque nostro fideliter impenio pareant.

Præcipienter ergo iubemus, vt nullus Comes, aut Vicecomes,

K k 2

vel

vel quilibet ex iudicaria potestate, suprascriptorum spatia līmitum ad caussas audiendas, aut fredā exigendā, aut fideiūssores tollendos, aut aduenas dīstringendos, nostris futurisque temporibus ingredi audeat: sed quidquid exinde fīscus nosfer acquirere poterit, totum pro nostrae animae remedio, ac regni stabilitate, eius ecclesiæ profectibus delegamus, quod & ipsis utilitas temporaria, & nobis successo-ribusque nostris salubritas proueniat æterna,

Et ut hæc nostræ auctoritatis præceptio firmior in Dei nomine habeatur, ac per futura tempora melius conseruetur, manu propria subter firmauimus, & annulo nostro sigillari iussimus.

Signum CAROLI Regis gloriosissimi.

Gofelinus regiæ dignitatis Notarius, ad vicem Heriuei Archiepiscopi summi Cancellarij, recognouit.

863. Datum XI. Kal. Iunij. Indictione XI. anno XXIV. regnante Carolo Rege gloriosissimo.

N O T A T I O N E S.

ISAAC) Comes Cameracensis: de quo Baldericus in Chron. Camerensi; vt & de Stephano Episcopo.

MALLO accersito,) hoc est, cōnuentu seu comitijs indictis.

CIENCI) fluiulus urbem Atrebatensem perluit.

LAMBRIS) vulgo Lambres, vicus Duaco opido vicinus, ad Scarpum, officina olim monetaria celebris. Hunc quondam Episcopus seu Ecclesia Cameracensis possedit: vt ex citato Balderici Chronicō constat. Annis superioribus ad collegam nostrum D. Siluestrum Pardo, Canonicum Antuerpiensem, & hodie ad illius heredes pertinet.

C A P V T X I I .

Carolus Caluus Imp. Dononiense monasterium, à S. Ragenfrede in Hannonia ad Scaldim fluum, secundo lapide à Valentianis constructum, an. 877. instaurat, & prædijs iam alim posseſſis dotat, hortatu Gisla fororis sua.

IN nomine sanctæ & indiuidue Trinitatis. CAROLVS misericordia Dei Imperator Augustus: omnibus Christicolis pax & salus.

PBO

Prout more & amore Dei, multa loca Sanctorum, Deo propitiate, alia noua construximus, alia lapsa restaurauimus.

Quapropter sciat omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium tam praesentium quam & futurorum industria, quoniam per carissimæ sororis nostræ, Gisla scilicet nomine, crebram admonitionem, ac per dilecti nepotis nostri supplicem postulationem, quin insuper & pro animæ nostræ perpetua salute, Abbatiam sanctissimæ Dei genitricis Mariæ, nec non venerandæ virginis S. Ragenfredis, quam ex suis proprijs prædijs ac vernaculis ipsa viuens construxit, sitam super Scaldis fluuij ripam, in prædio, quod nuncupatur Dononium, ad pristinum certamus restituere statum.

Decreuimus igitur, Dei timoris cauſſa, necnon & per deprecationem iam dictorum, has res reddere & confirmare per nostram magnificientiam, ad utilitatem fratrum sororumque inibi Deo militantium, ut perpetualiter possideant quæ inferius scripta habentur.

Reddimus itaque, cum nostra omni confirmatione, fratribus & sororibus memorati cœnobij, ipsum videlicet Dononium cum omni integritate, mansis scilicet LIII. cum molendinis & campis, & pratis valde vberrimis, & in pago Hainoginense villam, quæ dicitur Halcim, cum omni similiter integritate, mansos videlicet xxiv. cum molendinis & pratis, etiamque cum omnibus familijs inibi degentibus.

In eodem quoque pago villam quæ dicitur Teonis, cum omni integritate, mansos videlicet xxxiv. In villa verò quæ dicitur Salcem eiusdem pagi mansos xiv. cum silua quæ vocatur Ambligia. In praefato quoque pago, in villa Galdeciatas nuncupata, mansos vii. necnon & terram arabilem.

Quin insuper statuendo sancimus, omnimodam decimam tam de villis indominicatis, quam de beneficijs, ex omni Abbatia, ad yfus fratrum & sororum æternaliter largiendam.

Ipsius verò loci senior, quidquid ad opus ecclesiarum vel ædificiorum præfati cœnobij necessarium fuerit, ante omnia & super omnia, secundum Dei amorem, prouideat, ac prouidendo larguer suppleat.

Et ut æternaliter conseruentur in uiolabiliter, manu propria subzter fui mauiimus, & annuli nostri impressione insigniri iussimus.

Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi

877. D. CCC. LXXVII. Idibus Augusti, Indictione x, anno xxxviii, regni KAROLI Regis in Francia, & Imperij eius ii.

Signum KAROLI glorioissimi Imperatoris.

S. Norberti. S. Gerlonis. S. Willelmi.

S. Rodulphi eius nepotis. S. Bernardi.

..... Notarius scripsi, Pandiaco palatio regali, amen.

N O T A T I O N E S.

GISLA) Ludouici Pij Imp. filia, Caroli Calui soror, S. Euerardi Comitis & fundatoris Cisoniensis vxor, & multarum ex eo prolium genitrix. Cod. don. p. cap. 21. consule.

S. RAGENFREDIS) eiusque mater S. Regina, monasterium Dononense, *Denain*, condiderunt: vi in Fastis Belg. i. Iulij explicui.

FRATRVM sororumque.) Dononium, (vt Marchianæ, Hasnonium, & alia multa Germaniæ inferioris ac superioris monasteria) fuit olim utriusque sexus cœnobium: sed muris & claustris prorsus distincta erant ædificia pro quoque sexu.

De Dononio ita Baldericus lib. 2. cap. 28. in Chronico Cameraensi: In vico Duneng beata Rainfredis ex sui iuris rebus cellam fundavit, & sanctimonialibus constitutis, ipsa etiam Abbatissa regimonium duxit. Hanc autem postea, incumbente inopia, inclinata pauci Canonici incolebant: donec consilio Gerardii Cameraensis Episcopi, & Leduini Abbatis Vedastini, Balduinus Comes ad pristinum statum restituit, ibique monialibus regulariter institutis, Abbatissam, nomine Ermentrudem, præfecit. Haec tenus Baldericus.

HALCIM) forte *Hancin* hodie.

VILLA TEONIS) forte *Tun* sive *Thun*, ad Scaldim, versus Cameracum.

AMBЛИGIA) vicus & silua Hannoniæ, prope Crispinium, Ambli-
se; cuius etiam mentio fit in vita S. Landelini Abbatis & fundato-
ris Crispiniensis. Ambligiæ titulum Principatus nonnulli adscri-
bunt, & possidetur hodie à Principe de Ligne.

CAPVT

C A P V T X I I I .

Carolus Simplex, Francorum Rex, Franconi Leodicensi Episcopo possessiones quasdam, vi ablatas, an. 894. restituit, Adeleide matre & Fulcone Remorum Archiepiscopo, potentibus.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, CAROLVS misericordia Dei Rex.

Si iustitiam Dei verè diligimus, & aures nostræ pietatis iustis accommodare petitionibus certamus, morem, vt decet, regium frequentamus, & ex hoc in futuro remunerari omnino credimus.

Quapropter notum esse volumus omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, tam præsentibus quam & futuris; quoniam nostræ genua Serenitatis adiens dominus FRANCO venerabilis Episcopus, reclamauit se de quibusdam rebus, de fisco scilicet Arceias, in pago Portunensi sito, quas etiam ab Eua, Chunradi quondam muliere, per precariam acceperat, quod vi atque violentia, sibi ac ecclesiæ suæ fuissent ablatae.

Quod ergo ut verum comperimus, ob Dei amorem & S. Lamberti, remediumque animæ nostræ, perque deprecationem carissimæ & venerabilis genitricis nostræ ADELEIDIS, ac domini FULCONIS Remorum Archiepiscopi, præceptum nostræ auctoritatis & hoc fieri, & ei dari iussimus;

Per quod iubemus atque præcipimus, vt nemini mortalium liceat, quoquo modo, ab eo vel ab ecclesia sua, successoribusque suis prædictas res cum omni integritate, veluti continetur in præfata precaria

Quæ ab hodierna die & deinceps habeant, teneant, possideant, vel quidquid exinde facere voluerint, liberam ac firmissimam in omnibus, sicut de alijs suæ ecclesiæ rebus, habeant potestatem faciendi.

Et vt hæc nostræ auctoritatis largitio, per successura annorum curricula, rata & inconulsa permaneat, manu propria eam subter firmauimus, & annuli nostri impressione insigniri iussimus.

Signum CAROLI gloriofissimi Regis.

Rauber-

D I P L O M A T A

264. Raubertus Notarius, ad vicem Auskerici Cancellarij, recognouit.

894. Datum anno incarnationis Dominicæ octingentesimo nonagesimo quarto; anno quoque regnante Carolo, secundo, Indictione duodecima, VI. Kalendas Octobris. Actum Attiniaco.

N O T A T I O.

ATTINIACVM) palatum: de quo vide Cod. cap. 15.

C A P V T X I V.

Suentiboldus Lotharingie Rex monachis S. Dionysij in Francia, prope Parisios, an. 896. restituist Salonam Abbatiolam, in Salienſi pago ſitam, petente Raginero I. Hannonia Comite.

IN nomine sancte & indiuidua Trinitatis. ZVENTEBVLCHVS diuina procurante clementia Rex.

Condecet ergo nos, qui regia potestate ſublimamur, maximè Dei timorem cunctis mortalibus anteponere negotijs, & loca, quæ anteceſſores noſtri ad honorem Dei conſtruxerunt, præ ceteris ſecularibus rebus amare, atque conſeruare; quia, vt credimus, ex hoc & Dominus nobis magis placatus exiit, ob cuius amorem hoc facimus, & honorem Sanctorum eius, quorum merito veneramur obſequia.

Quapropter ad notitiam perueniat vniuersis Dei ecclesiarum credulis, qualiter Congregatio beati martyris Dionysij ſociorumque eius, ad noſtram ſublimitatis clementiam mittens quemdam ſuorum fratrum reclamare, propter res quas anteceſſores noſtri aut alij religioſi homines, ob ſui ſalutem, ſuprafatis martyribus, ad luminaria, & ad fratrum uilitatem, & ad pauperum curam, i pſiuſque loci honestatem, dederunt, quæ in noſtro regno ſitæ ſunt.

Quorum reclamationem nos obaudientes, ob interuentum fidelium noſtrorum Odoacri & Raginharij, reddidimus eis quamdam Abbatiolam, ſitam in Salienſi pago, Salonam nomine, ad ſupradictos viſus, cum omnibus ejus appendicijſ.

Ex qua Abbatiola, nos rogauerunt, duas villas ſpecialiter concedere,

cedere, ad luminaria & pauperum curam, Sulciam videlicet & Bar-
nuillam, cum omnibus appendicis earum.

Quod nos consentientes, pro nostræ animæ salute antecessorum-
que nostrorum, fieri decreuimus, nec non & decimaru illius Abba-
tiæ omnem dominicatum concessimus, velut in omni Abbatia san-
cti Dionysij agitur, ipsis petentibus, ad usus pauperum & matricu-
lariorum S. Priuato quotidie seruientium, & oblationes quotidie
offerentium, pro communi utilitate concessimus.

Et nullus utrumquam dominator adueniat, qui hoc infringere au-
deat: quod si aliquis proteruerit hanc eleemosynam infringere in-
incipiat, protinus in iram Dei Sanctorumque eius incurrat, ad quo-
rum loca hanc concessionem fieri decreuimus.

Et ut breuiter concludam, anathematis vinculis ligatus, nisi re-
fipisceret, hic & in ævum permaneat: præsens tamen editio firma
stabilitique permaneat.

Quod ut credibilius sit cunctis in Dei nomine credentibus, manu
propria firmauimus, annuliisque nostri impressione iussimus insi-
gniri.

Signum Domini ZVENTEBULCHI glorioissimi Regis.

Waldgerus Notarius, ad vicem Ratpoti Archiepiscopi, sum-
miique Cancellarij, recognouit.

Data xi. Kalendas Februarij, anno incarnationis Domini 896.
octingentesimo nonagesimo sexto, Indictione decima quarta, an-
no vero regni domini Zuentebulchi primo. Actum in Suuetchusa,
in Dei nomine feliciter, amen.

N O T A T I O .

B. DIONYSII) congregatio, in diecesi Parisiensi, est monacho-
rum Benedictinorum: de qua vide supra cap. i.

C A P V T X V .

Suendeboldus Lotharingie Rex dat cathedrali Canonicorum
S. Lamberti collegio Leodicensi villam Teux, an. 898.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. ZVENTEBOLDVS diui-
na fauente clementia Rex.

L 1

Pro

Pro his quæ, ob amorem Dei, ecclesijs sanctis locisque Sanctorum per mansuetudinem nostræ Serenitatis tribuimus, æternæ felicitatis beatitudine, ijs interuenientibus Sanctis, omnimodis perfrui confidimus.

Idcirco, omnium sanctæ Dei ecclesiæ, nostrorumque fidelium, tam præsentium nouerit, quam futurorum sagacitas, quia nos, pro salute nostræ animæ, pijke genitoris nostri serenissimi ARNVLPHI Imperatoris, ac nostrorum prædecessorum Imperatorum & Regum,

Largimur ecclesiæ, in honore beatæ Mariæ, genitricis Dei & Domini nostri, & præclari martyris Christi Lamberti in Leodico constitutæ, cui præsidet FRANCO venerabilis Episcopus, villam nostri dominicatus, sitam in pago Leuga, super fluuum Poledam, vocabulo TEVX, cum omnibus iustæ & legaliter ad eam pertinentibus, videlicet mancipijs utriusque sexus, campis, siluis, pratis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, cambis, paruis, exitibus & reeditibus, cultis & incultis, mobilibus & immobilibus, eo tempore & pacto, ut ex hoc, & in antea, præscriptæ ecclesiæ, nec non prædicto Episcopo, successoribusque eius, sine contradictione aliqua, immobiliter perpetuò subsistant.

Et ne hæc nostræ benevolentiae largitio permanuris successionibus infucatè scruetur, nostri annuli impressione subter insigni præcepimus.

Signum domini ZVENTEBOLDI Regis.

Walgerius Notarius, ad vicem Raerbodi Archicancellarij, recognouit.

898.

Actum VIII. Idus Octobris, anno incarnationis Dominice octingentesimo nonagesimo octavo, regni vero Zuenteboldi serenissimi ac pijke Regis quarto. Actum villa Aquæ ductus, in Dei nomine feliciter, amen.

N O T A T I O N E S.

ZVENTEBOLDVS) seu Suentiboldus, Arnulfii Imp. filius naturalis, ab eodem an. 895. Rex Lotharingie creatus, Odam, Odonis Francorum in Aquitania & Burgundia Regis filiam, an. 897. duxit uxorem: ut Regino testatur.

Quas reliquit filias, Benedictam & Cæciliam, sanctitatis opinione claras,

claras, & ex ordine Abbatissas monasterij Susterensis, in ditione Lu-
liacensi. Anno 900. prope Mosam, à Raginero I. Hannoniae Comi-
te & alijs vicitus, in prælio occubuit. Plura vide Codicis don. pia-
rum cap. 20. & in Stemmatibus Principum Belgij cap. 10.

LEUGA pago) pays de Liege.

C A P V T XVI.

*Ludouicus Lotharingie Rex, Suentiboldi frater & in regno suc-
cessor, an. 910. dat Mortarium villam Canonicis
in Caprimonte (opido olim diaœcesis Leo-
dicensis) degentibus.*

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. LYDOYI CVS diuina or-
dinante gratia Rex.

Quoties sanctatum Dei ecclesiarum necessitatibus munimine
regalitatis subuenierimus, morem antecessorum nostrorum imita-
mur: idque nobis ad præsentis æui subsidia, atque ad futura beatitu-
dinis præmia incunctanter adipiscenda, proficere credimus.

Quocirca omnium sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque fidelium,
præsentium ac futurorum, prudens agnitus comperiat, quia HATTO
venerabilis Archiepiscopus, & GERBERDVS Celsitudinem nostram
adierunt, intimando, qualiter frater noster SVENTIPVLCHVS, post-
quā à regni gubernatione proceres regni Lothariensis demiserint,
cuidam viro Roingo quandam proprietatem dederit, quam ipse
Roingus postmodum ad substantiam Canonicorum, in CAPRI-
MONTE loco vocato, degentium, vt cumque delegauerit;

Cumque prænominatus Comes hoc taliter actum perscrutaue-
rit, nostrisque auribus innotuit, humillimeque expetiit cum Hatto-
ne præfato Pontifice, ut pro salute animæ nostræ, easdem res præ-
nominatis Canonicis, per nostræ auctoritatis præceptum, confir-
maremus.

Hoc quoque ipsorum petitioni libenter acquiescentes, præscri-
ptas res in Comitatu Leuchia sitas, Mortariumque locum vocatum,
cum omnibus suis appenditijs, vt haec tenus iam dictus Roingus eas
habere visus fuit, ita deinceps, ad substantiam sacerdotiorum Cano-
nicorum, per præsentem nostræ Regalitatis vigorem concedimus,

ac confirmamus;

Videlicet cum manso indominicato, atque ecclesia, cum alijs duodecim mansis, castitijs, campis, pratis, pascuis, siluis, cultis & incultis, aquis aquarumue decursibus, molendinis, punctionibus, vijs & inuijs, exitibus & redditibus, quæsitis & inquirendis, mobilibus & immobilibus, ac mancipijs utriusque sexus inibi residentibus.

Hoc quoque obnixè statuentes ac sanctientes, ut more ecclesiastico, ab hodierna die, præscripti Canonici ad mensam ipsorum habeant, teneant, possideant, nostrique ob id memores effici delectentur.

Et ut præsens nostræ largitionis & confirmationis præceptum, per succendentia tempora, verius credatur, ac diligenter seruetur, manu propria subter firmauimus, & sigilli nostri impressione insigniri iussimus.

Signum domini Ludovici serenissimi Regis.

THEODVLPHVS Notarius, ad vicem Rathpodi Archiepiscopi & Cancellarij summi, recognoui.

Data V. Idus Nouembris, anno Dominice Incarnationis D. CCCC. X. Indictione XIII. anno vero domini Ludouici X.

9ro. Actum; in Geleneheim, in Dei nomine feliciter, amen.

N O T A T I O.

In Caprimonte, Chieuremont, olim fuerunt duo aut tria Canonorum collegia: quorum prædia partim Canonicis B. Mariæ Aquitaniensis, partim Canonicis S. Ioannis in insula Leodicensi sunt attributa; Caprimontensi opido funditus exciso à Notgero Leodicensi Episcopo. Caussam excidij inuenies apud Chapeauillum, rerum Leodicensium scriptorem.

C A P V T X V I I .

Carolus Simplex Francorum Rex Canonicis ecclesiae S. Lamberti Leodicensis an. 915. dat forestum seu siluam in Arduennam sitam,

Stephano Leodicensi Episcopo, & Raginero I. Hannoniae & Hasbaniae Comite, potentibus.

IN nomine sanctæ & indiuinae Trinitatis, CAROLVS, diuina propitiante clementia, Rex Francorum.

Si

Si Deum præ oculis habendo, in augmentandis suis ecclesijs honoramus, nostrisque fideles in suis rectis petitionibus libenter excipimus, diuina humanaque nobis simul conciliamus, atque regiam liberalitatem moribus paternis exequentes sumus.

Quocirca omnium nostrorum fidelium, præsentium videlicet ac futurorum, comperiat solertia, quod DvDO Virdunensium Episcopus, RAGINERVVS Marchio strenuus, pariter etiam ROBERTVS nostra Serenitatis executor fidelissimus, nostram adierunt excellen-
tiam, poscentes prorsus,

Vti interuentu STEPHANI venerabilis Tungrorum Episcopi, no-
stræ consanguinitati affinis dilectissimi, partibus sanctæ Dei genitri-
cis Mariæ, almiique martyris Lamberti, in proprium traderemus fo-
restem, quæ olim pertinuerat ad Tectis villam, quam dato fisco
ZVENDIPOLCHVS retinuerat ad manum regiam, quamque constat
in pago Luuiensi, atque in Comitatu SICHARDI sitam, atque istis
finibus circumquaque conclusam;

Terminatur à Wlfingi fago, vsque in fluum Ambleuam, inde ad
monasteriū Stabulaus, sicque vadit ad . . . & inde ad Salceias, vsque
ad Nordrees fontē, & ad Hauernij vsque ad Vesere, & idem ad riuū
de Solmania vsque ad Solergeas & Hukelebac, vsque ad Veserem &
Geislampiā, vsque ad Hospitale, & sic reuertitur ad Wlfingi fagum.

Horum itaque petitioni grataanter assensum præbentes, egimus,
iuxta quod fuerant obnixè poscentes.

Delegauimus namque ipsam forestem prælibatis partibus iure
perpetuo in proprium tenendam, & totum vnde cumque ad inte-
grum, velut dudum semper in Regum manibus constituerat, firma-
uimus omni tempore possidendam, in tantum, vt neque à quoquam
venatio ullatenus fiat per illam, nisi Prælati illius ecclesia licentiam
omnino habuerit indeptam.

Si quis ita temerario ausu in ea venari præsumperit, sic bannum
regium inde componat, quomodo antea componebatur, dum Re-
gum in manibus steterat.

Et vt hoc nostræ auctoritatis præceptum perpetualiter manens,
semper sit inconuulfum, has testatorias litteras exinde fieri iussi-
mus, annuliique nostri impressione subitis insigniri præcepimus.

Signum CAROLI Regis gloriosissimi.

Ionsuinus Notarius, ad vicem Heriuei Archiepiscopi, summiisque
Cancellarij, recognouit.

Ll 3

Datum

Datum VIII. Kalendas Septembris, Indictione tertia, anno vice.
simo tertio, regnante Carolo Rege gloriofissimo, redintegrante de.
cimo octauo

Actum monasterio S. ARNVLPHI, in Dei nomine feliciter,
amen.

N O T A T I O N E S.

RAGINERVIS I.) Hannonia & Hasbania Comes: de quo & alijs
tribus ex ordine Ragineris, in Stemmaribus Belgicis cap. 21, fuse
differui. Horum stirps mascula hodieque perstat in Landgraviis
Hassia, qui originem & gentilicium Leonis insigne trahunt ab
Henrico Brabantino, Henrici II. Brabantia Ducis filio.

ZVENDIPOLCHVS) seu Suendiboldus Lotharingia Rex.

LVYTENSI) seu Lutgiensi pago, au pais de Liege.

STABVLAVS) hodie Stabuleum, Abbatia Benedictinorum: cuius
nunc Administrator est Episcopus Leodicensis.

REDTEGRANTE.) Vide Cod. don. cap. 27.

S. ARNVLPHI) monasterium Metense, multorum olim Regum
cumulis nobile, descripsit Valladerius.

C A P V T X V I I I .

*Carolus Simplex Francorum Rex Rutgero Treuerensi Archiepi-
scopo restituit Traiectensem S. Seruati Abbatiam.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. CAROLVS diuinâ pro.
pitante clementiâ Rex Francorum.

Dogmate diuino instruimur, & regiâ maiestate monemur, qua.
tenus Sanctorum loca sub solida tuitione prouideamus: & si quæ
sunt alicuius prauitate attrita, ad pristinum reuerti faciamus sta.
tum.

Nouerit igitur omnium sancte Dei Ecclesiæ fidelium nostrorum,
videlicet præsentium ac futurorum industria. quoniam vir venera.
bilis nobis fidelis Rutgerus, Treuerensis ecclesiæ Archiepiscopus,
sepiùs plangendo adjicit Celsitudinem nostram, dicens, quod Abba.
tiam

riam S. Seruatij, quæ est constructa in Traiecto, in Comitatu Mase-
land, quam dedit per suum præceptum sibi commissæ Treuerensi
ecclesiæ Arnulphus Rex, sed violentia Ragineri Comitis, & filij
eius Gilberti, à prædicta Treuerensi ecclesia iam olim esset iniuste
ablatæ.

Ergò ad cauſtas nostras eius proclamationem mittens, iudicio
Scabinorum palati nostri, & attestatione omnium fidelium nostro-
rum, ipsam Abbatiam S. Petro, in cuius honorem est constructa
Treuerensis ecclesia, & prænominato Præfuli reddimus, ut in per-
petuum, sine cuiuspam contradictione, cum omni integritate ipse
& successores eius ipsam Abbatiam teneant atque possideant, &
quidquid pro sua, suæque ecclesiæ vtilitate, ex ipsa facere decreue-
rint, liberam in omnibus potestatem habeant faciendi.

Et ut hæc notitia instantibus & futuris temporibus rata esse cre-
datur, & firmior habeatur, ligillo nostri palati eam roborari ius-
sumus.

Hæc sunt nomina eorum qui præfatum contulerunt iudicium,
videlicet

Episcoporum,

Wifridus, Dado, Raubertus,
Abbo, Stephanus:

Sed Comitam,

Matfridus, Sigardus, Otto,
Fulbertus, Christianus, Erkengerus,
Isembardus, Hungerus, Ecfridus,
Ermenfridus, Walterus, item Walterus:

Nec non & Scabinorum,

Blidulphus, Regnardus, Adelbertus,
Sigebertus, Witterus, Adelbardus,
Rubertus, Bernacrus, Volmarus,
Roricus, Otkerus, Ingrannus,
Betto, Engilbertus, Filberius, Isvwardus.

Rathbodus Notarius, præcipiente domino Rege Carolo, hanc
notitiam scripsit.

Data Idibus Iunij, Indictione VII, anno XXVII, regnante Rege
Carolo, redintegrante XXII, largiore vero hereditate indepta VII.

Actum Heristal palatio.

NOTA.

DIPLOMATA
NOTATIONES.

S. SERVATII) collegium Canonicorum Traiecti ad Mosam, nuncupatur h̄ic Abbatia, more & stilo illius æui, apud Leodicenses & alios v̄sitato. Molanus lib. de Canonicis, varia Canonicorum collegia, in diœcesi Leodicensi sita, enumerat; quibus hodieque præsunt Abbates sacerdetales.

ḠSILBERTVS) Ragineri I. Hannoniæ Comitis & Albradæ filius, fuit primus Lotharingiæ Dux: ut in Stemmatibus Belg. cap. II. docui.

HERISTAL) palatum olim regum (à quo Pipinus Heristallius seu Heristallius, Maior domus Regiæ, cognomentum induit) nunc vicus, Herſtal, Baroniæ titulo clarus, ad Mosam, haut procul à Leo- dico. Censetur iuris Brabantini, spectatque ad gentem Nassauiam.

C A P V T X I X.

*Eiusdem Caroli Regis diploma alterum, eiusdem argumenti
ac sententia.*

IN nomine sancte & indiuiduæ Trinitatis. CAROLVS diuinâ largiente misericordia Rex Francorum:

Si seruorum Dei petitionibus aurem libenter accommodamus, diuini cultus amore, regium decenter morem exequimur, ac vita eternæ præmia propter hoc adipisci veraciter credimus.

Quocirca competiat omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorum videlicet præsentium & futurorum solertia, quoniam Archipræsul venerabilis Treuerensis ecclesiæ RVTGERVS nostra Serenitatis culmen adiit, conquerens quod Abbatiam quandam, quæ est constructa super flumen Mosam, in loco TRAIECTVS nuncupato, vbi requiescit corpus sanctissimi confessoris Seruati, Arnulphus quandam Rex, deprecante RATHBODO prædictæ ecclesiæ pridem Archiepiscopo, delegauerat S. Petro Apolto ad cathedram Treuerensem.

Idque sanctionis præceptum confirmare studuit; sed irruentibus diuersis contrarietatibus, à potestate eiusdem sedis RAGINERVS pridem

pridem Comes eamdem Abbatiam violenter subtraxit, & reclamante dicto Rathbodo apud Regem Zuendeboldum, illam reddere compulsus est S. Petro.

Verum Zuendeboldo perempto, iterum à Raginero peruasa est, 900.
ac post illum ab eius filio Gisilberto pari violentia hactenus negatur reddere.

Cuius petitionem fore salubrem cognoscentes, consensu Episcoporum nostrorum, & iudicio Comitum, seu aliorum fidelium, supradictam Abbatiam in Traiecto super flumine Mosa sitam, in Comitatu vero Hasbaciensi, in conspectu nostro & praesentia Principum nostrorum ipsi metu prelibato Archiepiscopo reddere imperauimus, pro amore Dei.

Ita dumtaxat, ut à nobis restitutam S. Petro, vsibusque sanctæ Treuerensis ecclesiæ, ab hinc in futurum nullus valeat eam subtrahere vel dividere exinde; sed nostræ pietatis munere ipse Archipræsul Rutgerus, & eius successores memoratam sèpe Abbatiam habeant, teneant, cum villis, mancipijs utriusque sexus, & omnibus rebus iuste ibidem pertinentibus, & earumdem rerum exactionibus, & omnia ad se pertinentia regant & disponant pro suæ utilitatis studio, sicut priorum Regum auctoritates patefaciunt.

Hanc igitur Abbatiam reddendam nostræ auctoritatis præcepto Archipræsuli Rutgero, & suæ ecclesiæ, manu propriâ roboranimus, & annuli nostri impressione insigniri iussimus.

Signum Caroli Regis glorioissimi.

Gozelinus Notarius, ad vicem Rutkeri Archipræsulis summique Cancellarij, recognouit.

Data VII. Idus Iulij Indictione VIII. anno regni Caroli incliti Regis XXVII. redintegrante XXII. largiore vero hereditate incepta VIII.

Actum in Villa Theodonis,

NOTATIONE S.

THEODONIS villa) olim palatum regium, nunc munitum Ducatus Luxemburgensis opidum, ad Mosam, Francis Theonville, Germanis Dietenhouse.

TRAIECTVS us, ui, masculino genere, ut recte veteres scrip-

M m runt;

soli

runt. Quod opidum hodie Traiectum ad Mosam, neutrō genere, sed barbarē, nuncupatur, vulgō *Maeſtricht*: Ammiano Marcellino Opticesium, quasi dicas *Oppertricht*. Hinc nonnulli Traiectum superius nominant, ad distinctionem Traiecti seu potius Traiectus inferioris, ad Rhenum in Batavis siti, & vulgō *Ultraiectum*, *Vtrech*, nuncupati.

C A P V T X X.

Stephanus Papa fundationem Abbatia Broniensis, in Comitatu Namurcensi, an. 942. confirmat, Rome existente, & coram petente S. Gerardo Abate ac fundatore Broniensi.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, & S. Mariæ semper virginis. STEPHANVS, Sedis Apostolicæ sumimus Episcopus, ieruuus seruorum Dei, fratribus ac filijs nostris per vniuersum orbem terrarum in fide Catholica degentibus.

Notum cupimus esse omnibus tam præsentibus quam futuris, qualiter filius ac frater noster diuina annuente clementia, Gerardus Abbas nobis innotuit de monasterio Broniensi, quod in mensu reformatum & restauratum, in honore S. Dei genitricis semper virginis Mariæ, sanctorumque Apostolorum Petri & Pauli, & S. Ioannis Baptiste.

Post vero multorum Sanctorum pignora, congregauit ibi corpus etiam S. Eugenij martyris, Archiepiscopi Toletanæ sedis, discipuli & ordinati S. Dionysij Archiepiscopi, & cum magna reverentia & honore inibi attulit: hereditatem quoque propriam tam in agris quam mancipijs, & in omnibus iure hereditario adiacentibus devote ac voluntariè ad præfatum dedit monasterium.

Postquam autem nobis hoc indicauit, prouolutus pedibus nostris petijt, quatenus auctoritate Apostolorum Petri & Pauli malediceretur omnis, qui de eodem monasterio aliquid conaretur, tam de reliquijs Sanctorum, quam de vestimentis & libris, & de territorijs auferre, atque de mancipijs vel de alijs quibuslibet rebus, quas nunc habet sibi datas, vel ultra possit Dei misericordia obtinere.

Hoc

Hoc quoque magnopere expetijt, vt eodem constringatur anathemate quicumque priuilegium, quod de eodem loco & monasterio iam regia magnificentia & imperialis sanxerat auctoritas, aliquatenus præsumeret infringere:

Scilicet: nullus Episcopus, nullus Comes, nullus Aduocatus, nullus Iudex publicus, nec quilibet ex iudicaria potestate, in ecclesiis aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones memorati monasterij præsumat ingredi, aut ad causas audiendas, aut precaturas faciendas, aut freda vel tributa, aut obsonia quælibet exigenda, vel mansiones, aut situas, vel patadas faciendas, aut fidejusfores tollendos, aut homines eiusdem monasterij, tam ingenuos quam seruos, super terram ipsius commanentes, iniuste distingudos, nec ad villas redhibitiones aut illicitas occasionses requiriendas, nostris & futuris temporibus.

Sed licet memorato Dei seruo Gerardo, suisque successoribus res prædicti monasterij, cum monachis suis, sub immunitatis nostræ defensione, quieto ordine possidere & ordinare, absque cuiuslibet arbitri communione, nisi ipso Abbe & suis monachis id rationabiliter fieri petentibus.

Hoc quoque firmari expetijt nihilominus, vt eadem damnetur maledictione, quicumque locum ipsum & loci incolas, infra suos terminos hostili incendio, vel cæde, aut aliqua iniusta oppressione præsumplerit aliquatenus depopulari, vel infringere.

Astantibus igitur Episcopis & confratribus huius sanctæ Romanæ Sedis, & consentientibus, petitionem famuli Dei Gerardi Apostolica auctoritate firmari decreuimus.

Igitur auctoritate Patris & Filii & Spiritus Sancti, & S. Mariæ semper virginis, Deigenitricis, & omnium cœlestium Virtutum, & S. Ioannis Baptiste, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, S. Eugenij martyris, eiusdem loci patroni & prouisoris, & Sanctorum, quorum reliquiae inibi sunt, simulque omnium Sanctorum, quorum nomina scripta sunt in libro vite, excommunicamus, anathematizamus, damnamus omnes, qui horum quidpiam, quæ de immunitate & libertate Broniensis ecclesie & loci prelibata sunt, irritum fecerint vel infregerint, nisi resipuerint, & pœnituerint, & ab Abbe & fratribus eius veniam promeruerint, & de cetero emendauerint.

M m a

At

At verò qui obseruator exstiterit huius nostræ præceptionis, & regiæ sanctionis, gratiam & misericordiam, vitamque æternam à misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur.

Ego CASTORIUS Notarius regionarius & Scriniarius sancte Romanæ Ecclesiæ, corroborante Apostolica auctoritate, & sancto Papa Stephano suggestente, recognoui.

Signum Domini STEPHANI Papæ glorioſi.

Data V. Kalendas Maij, anno ab Incarnatione Domini
Actum Romæ feliciter, amen.

Ego Leo sanctæ Romanæ Ecclesiæ Archipresbyter, ro-

gante domino nostro Stephano, subscripsi, amen.

Ego Dairinus Episcopus, iubente eodem Episcopo, sub-

scripsi, amen.

Ego Valentianus Episcopus subscripsi, amen.

Ego Agapitus Episcopus ipso iubente subscripsi, amen.

Ego Emerentianus Episcopus subscripsi, amen.

Ego Simphorianus Episcopus subscripsi, amen.

Ego Liberius Episcopus subscripsi, amen.

Ego Laurentius Episcopus subscripsi, amen.

Ego Florentius Episcopus subscripsi, amen.

Ego Gregorius Episcopus subscripsi, amen.

Ego Gaudentius Episcopus subscripsi, amen.

Ego Clementianus subscripsi, amen.

Ego Vrbanus Episcopus, iussu domini Stephani Papæ, sub-

scripsi, amen.

Hilduinus Mediolanensis Archiepiscopus subscripsi, amen.

Wido Placentinensis Episcopus subscripsi, amen.

Petrus Cumensis Episcopus subscripsi.

Ainardus Basiliæ Episcopus subscripsi, amen.

Richuinus Stratburgis Episcopus subscripsi, amen.

Rotherus Treuiris Archiepiscopus subscripsi, amen.

Benedictus Metensis Episcopus subscripsi, amen.

Richarius Leodicensis Episcopus subscripsi, amen.

Stephanus Cameracensis Episcopus subscripsi, amen.

N O T A

NOTATIONES.

BRONIVM) hodie S. Gerardi Abbatia, Benedictinorum, annexa
Episcopatui Namurcensi.

Stephanus Papa an. 939. creatus, obiit an. 943.

ROTHERVS) f. Rotbertus A. Treucrenensis.

CAPUT XXI.

*Conrado Lotheringie Duce postulante, Otto I. Imp. an. 944
dat Farabero Leodicensi Episcopo monasterium Eiche,
quod nunc est Canonicorum collegium, in ditio-
nis Leodicensis opido Maseica.*

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. OTTO, diuina prouidentia Rex.

Si locis divino cultui mancipatis aliquid impendimus, augmentum
æternæ remunerationis cumulum speramus inde nos adepturos.

Quocirca nouerit omnium fidelium nostrorum cautela, tam præsentium quam succendentium, qualiter ob amorem omnipotentis
Dei, interpellante nostram liberalitatem Duce CONRADO, tradidimus ad Leodicensem Sedem, in honore semper virginis Mariæ de-
dicatam, quoddam monasterium, EICHE vocatum, super fluuium
Votra constructū, sium in pago Husce, in Comitatu Rodulphi, qua-
tenus præfatæ ecclesiæ, cui modò præst FARABERTVS Episcopus:
suique successores eamdem inde teneant potestatem, quam in re-
liquis habent rebus ad suam Sedem pertinentibus, cum omnibus ad
prænotatum cœnobium iuste spectantibus terris, mancipijs, cun-
ctisque, quæ dici vel nominari possunt.

Et ut hæc auctoritas nostra, præceptumque traditionis inuolatum
deinceps permaneat, iussimus hoc conscribi, sigilliique nostri
impressione munitum firmari.

Signum domini OTTONIS Serenissimi Regis.
EIMO Notarius, ad vicem Brunonis Archicancellarij, recog-
noui.

Mm 3

Actum

944.

Actum Chuitileneburg , anno incarnationis Domini nongente-
fimo quadragesimo quarto , IV. Nonas Iulij , regni autem domini
Ottonis decimo sexto , Indictione septima .

N O T A T I O N E S .

CONRADVS) seu Cuno, Lotharingie Dux ab Othono I. Imp. an.
944. creatus , eiusdem filiam Luidgarden an. 947. duxit uxorem ,
qua an. 953. decessit : vt Continuator Reginonis testatur. Idem Dux
diplomati Gemblacensi an. 950. subscriptus .

EICHE) monasterium : de illo egri in God. don. Piarum cap. 20.
pag. 91. & in Fastis Belg. 2. Oct.

C A P V T . X X I I .

Walciodorensis Benedictinorum Abbatia , ad Mosam fl. in
Comitatu & diocesi Namurcense , ab Eilberto Comite
ac domino Florinensi , eiusque coniuge Here-
finde , an. 946. fundatur dotaturq .

I N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. OTTO divina favente
clementia Rex.

Notum sit omnibus sanctæ Ecclesiæ fidelibus & filijs , præsentibus scilicet & futuris , qualiter venerabiles Episcopi nostri , Fredericus sanctæ Maguntinensis ecclesix , & Hugo Leodiensis , adierunt Serenitatis nostræ præsentiam , deprecantes , vt cuidam nobili viro
EILBERTO nomine , assensum præberemus , de rebus sui iuris mo-
nasterium edificare , in honore S. Mariae semper Virginis , in loco
qui dicitur Walciodus , ubi iam dictus vir & vxor sua Herefindis
in religione feruentissima suscepserant quosdam Dei seruos , pere-
grinationis gratia à Scotia venientes , & sub regula S. Benedicti vi-
uere cupientes .

Dedit igitur prædictus vir , cum coniuge sua , de proprietate sui
iuris ad præfatum locum , prædictis monachis locum qui dicitur
Walciodoris , ubi est ecclesia in honore S. Mariae constructa , &
mansus indominicatus , ad quem aspiciunt mansi triginta , cambræ
septem ,

Septem, fornarij duo, in pago Ardenna dicto ad Littras, mansum indominicatum, ad quem aspiciunt manū triginta, vbi est ecclesia in honore S. Dionysij constructa, cambæ duæ, fornarij duo, in Falmenna..... mansum indominicatum, ad quem tres cambæ, duo fornarij, duo in Condrosio ad locum Antina dictum, vbi est ecclesia in honore S. Maximini constructa; mansum indominicatum, ad quem aspiciunt mansi triginta unus, cambæ duæ, fornarius unus, in loco Florines dicto, mansos sex, cambam vnam, cum omnibus ad prænominata loca iure pertinentibus, mancipijs, agris, pratis, pascuis, siluis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, punctionibus, exitibus & redditibus, quæsitis & inquirendis.

Quorum petitionibus nos, sicuti æquum erat, aurem libentissime accommodantes (quippe quæ salutis nostræ commoda postulabant) statuendo decreuimus, vt illud monasterium perpetuo in usus peregrinorum & pauperum stabiliatur, firmetur atque corroboretur, & semper in ditione SCOTORVM permaneat, & quamdiu aliquis illorum vixerit, nullus alius fiat Abbas, nisi unus ex ipsis, post vero decepsum illorum alijs, Deum diligens & amator sanctæ regulæ, efficiatur Abbas; ipsum autem monasterium, quod ad hoc noscitur esse constructum, vocetur deinceps Monasterium peregrinorum.

Et ut hoc nostræ concéssionis præceptum firmiter permaneat, manu nostra subtus firmauimus, annuloque nostro insigniri iussumus.

Signum domini Ottonis serenissimi Regis.

Vrmus Cancellarius, ad vicem Friderici Archicapellani.

Actum XIII. Kalendas Octobris, anno incarnationis Domini 946.
nonagesimo quadragesimo sexto, Indictione prima, anno Ottonis undecimo. Actum iuxta ciuitatem Remis dictam.

N O T A T I O N E S.

Ex Walciodori archiuis diploma istud Patilius Croffendalius recitat in sua Comitum Namurcensem Historia, quæ Bruxella apud filium ms. exstat.

Elbertus siue Elbersus Comes, dominus de Florines, Ebroini & Berthæ filius, Gerardi Comitis Lossensis frater cum uxore sua Hesinde (ex qua liberos non suscepit) monasterium S. Michaelis in Tirassia

Tirassia exstruxit. Anno 944. aut 946. castrum Walciodorensis,
VVanssire, in monasterium vertit; S. Forannanum, ex Scotia an.
968. venientem, primum ibi Abbatem constituit, demum an. 977.
vivere desijt, Walciodori sepultus cum Gerardo fratre.

Ebroino seu Euroino Ludouicus Balbus Imp. circa an. 879. dedit
Antinam, *Anine*, in Condrusio, & Hejdrefum, *Haidres*, in Fa-
menna. Donationis tabulae existant apud Cronentalium lib. citato.

Otho Imp. an. 968. cœnobium Walciodorensis Theoderico
Episcopo Metensi concessit, qui Hasteriensis monasterium, dimis-
sis monialibus, cum Walciodorensi coniunxit: sic ut unus idemque
sit Abbas loci utriusque.

Est autem Hasteria ad alteram Mosæ ripam, ex opposito Walcio-
dori sita, in qua Widericus, eiusque coniux, an. 656. moniales
collocarunt.

S. Forannanus an. 982. in Domino obdormiuit, & Walciodori
quiescit cum S. Eloquio, S. Foillani fratre: de quibus Fastos nostros
Belg. vide.

CAPUT XXXII.

*Ludouicus Transmarinus Francorum Rex, petente Arnulpho
Magno Flandriae Comite, an. 950. possessiones mona-
sterij Blandiniensis, iuxta Gandavum, confir-
mat; monachis Benedictinis, per S. Ge-
rardum Bronensem, loco Cano-
nicorum, substitutis.*

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, diuina præordinante
gratia Francorum Rex LUDOVICVS.

Si in diuinis cultibus operam dantes, Ecclesiam Dei ad summum
sacræ religionis statum sustollere conamur, ab ipso bonorum om-
nium Remuneratore, pro certo confidimus fore nobis recompen-
sandum.

Igitur notum esse volumus omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidel-
ibus, præsentibus scilicet & futuris, quoniam nostræ dignitatis a-
diens præsentiam Arnulphus Comes & Marchio nobilissimus, no-
sterque

sterque consanguineus clarissimus, nobis retulit dolendo, quod-dam coenobium à beauissimo Amendo Präfule, sub regulari mona-chorum norma, nobiliter secus castrum Gandavum super scaldi-fluenta, olim constructum fuisse, quod antiquitus vocabatur Blan-dinus, nunc verò vocatur..... monasterium penitus modo..... destrunctum.

Vnde idem Comes Arnulphus, ob Dei Sanctorumque eius amo-rem, vehementer compassus, ei reddidit iure quasdam res, quam-uis non omnes, prædicto cœnobio, quæ dudum per violentiam & nimiam sæcularium cupiditatem inde fuerant absumptæ, remotis Canonicis inibi non satis honeste viuentibus, quo melius ibidem monachi sublitterentur, qui regulæ & Abbati vacando obedirent.

Quocirca prælibatus Comes nostram satis reuerenter expetijt munificentiam, quatenus concessas res præcepti nostri munimine iam dicto monasterio corroborare dignaremur, quod & fecimus.

Sunt autem memoratae res, scilicet mansuræ, quæ sunt in portu Gandaio sitæ, à flumio Scalde usque ad decursum Leyæ fluminis, cum censu earum, atque cum decimis omnibus. Naulum quoque, quod à prætereuntibus exigitur, & prati floralia, cum alijs ibidem aspicientibus, & molendino uno, in loco qui dicitur Affua;

Vineam quoque secus monasterium ac terram, quæ ibi adiacet usque ad portum Gandisem, atque alia rura, quæ monasterio sunt contigua, supra quæ construant officinas, aliaque sibi congrua: Capellam denique in honore S. Mariæ dicatam, in villa, quæ dicitur Meerem, villam quæ dicitur Gunringhem, cum appenditijs suis, in pago verò Wasia super fluum Scaldim, villam, quæ dicitur Tempseca, cum omnibus appenditijs:

In pago autem Hainau super fluum Lanum, villam quæ vocatur Dulcis, ecclesiam scilicet cum manso indominicato, ac cum omnibus sibi adiacentibus pratis & pascuis:

Et in pago Flandrensi, in loco nuncupato Morona Bennonis pastolaria quæ sufficere possunt ouibus CXX. & in alio loco mari proximo vocabulo Bescura, terram in qua possunt alere oves centum,

Ac in ipso pago dedit præscriptis monachis, post discessum suum, medietatem fisci sui, quæ vocatur Huetingebem mansum

N n

vnum

vnum cum mansionario, ac maiore nomine Fulberto, alijsque
mancipijs numero XII.

Vnde hoc nostræ auctoritatis decretum fieri, ac venerabili G. RARDO Abbatij monachisque prælibati monasterij dari præcepimus, per quod præscriptas res cum omni integritate, & alias quæ postmodum à Dei cultoribus illis sunt largiendæ, firmiter teneant, atque perpetuò, nemine inquietante, possideant:

Ea scilicet ratione, vt Abbas cum monachis, secundūm loci pos-
sibilitatem, regulariter ibidem viuere studeant, ac pro nobis &
totius regni statu militare Deo iugiter satagant.

Et vt nostræ corroborationis concessio plenissimum obtineat
stabilitatis vigorem, manu propria subter eam firmauimus, & an-
nuli nostri impressione assignari iussimus.

Signum LUDOVICI glorioſiſſimi Regis.

Oidilo Notarius, ad vicem Artaldi Archiepiscopi, relegit & sub-
scripsit.

950. Actum Remis, XIII. Kal. Septembriſ, Indictione VIII. anno
XV. regnante Ludouico Rege glorioſo.

N O T A T I O N E S.

CANONICIS remotis.) Notent antiquitatis ecclesiastice studiosi,
in plurimis cœnobij, quæ nunc sunt aut fuerunt monachorum or-
dinis Benedictini, Canonicos primitus vixisse; vt in Blandiniensi,
Bauonensi, & alijs.

TEMPSECA) seu Tamisia, Tempſt, amplum Wasia municipium,
ad Scaldim, S. Amelbergæ virginis patrimonium, olim monasterij
Blandiniensis, nunc est Ducis Bournonvillij.

VILLA, quæ vocatur Dulcis,) sita est in Hannonia, vulgo
Douley, data iam olim in feudum ab Abbe & conuentu Blan-
diniensi.

CAPVT

C A P V T X X I V .

Otho I. Imp. Dulciacum, Crombruggam, aliasq; possessiones monasterij Blandiniensis an. 966. confirmat, petente VVomaro Abbe Blandiniensi.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. OTTO diuina fauente clementia Imperator Augustus.

Cùm Regiæ vel Imperatoriæ dignitatis officium esse constet, vt monasterialia loca, Deo & Sanctis eius dicata, ob diuini cultus augmentum, nouis semper auctoribus roborentur: idcirco notum esse volumus omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quām futurorum, industriae,

Qualiter venerabilis Abbas WO M A R V S Blandiniensis cœnobij, nostram adiit Serenitatem, rogans vt more antecessorum nostrorum, Regum scilicet vel Imperatorum, rebus vel proprietatibus monasterij sui, infra regni nostri terminos constitutis, immunitatis vel defensionis nostræ brauium concederemus, hocq; nostræ auctoritatis præcepto roboraremus.

Nos verò interuentu dilectæ coniugis nostræ ADELHEIDIS, fidelisque Archiepiscopi nostri Wilhelmi, ob spem diuinæ remunerationis, pro statu vel incolumentate regni, vel Imperij nostri, filijque nostri carissimi Regis Ottonis, piæ illius petitioni assensum præbuimus, & vt res vel possessiones præscripti Blandiniensis cœnobij, infra regni nostri terminos constituta, Dulciacus scilicet in pago Haginiæ, & CROMBRUGGA in pago Brabantinæ, quam viliam Canisiam nostra soror GERBERGIS Regina monachis, ob medium animæ fidelis Comitis sui reddidit Arnulphi, sub perpetua immunitatis nostræ tutione sint, volumus:

Ita vt nullus noster Comes, aut Index & Vicarius, aut publicus fisci exactor, vel Aduocatus, vel alius aliquis prænominatas villas ingredi audeat, ad fredas exigendas, vel hominibus præscripti cœnobij, inibi habitantibus, distinctionem ingerendi, vel aliud quid potestatis exercendi licentiam aut potestatem habeat, nisi Abbas & Aduocatus, quem sibi ipse utilem & necessarium elegerit.

Et vt hoc auctoritatis nostræ præcepium firmum & stabile permaneat,

N n 2

maneat,

maneat, hanc chartam conscribi fecimus, quam & propria manu
subter firmauimus, annuliisque nostri impreisione signari iussimus.

Signum domini OTTONIS, magni & inuictissimi Imp. Augusti,
Luidolphus Cancellarius, ad vicem Wilhelmi Archicapellani,
recognoui.

966. Datum XI. Kal. Februarij, anno Dominicæ Incarnationis D.
CCCC. LXVI. Indictione IX. anno regni domini Ottonis XXXI.
Imperij vero IV.

Aetum Traiecto, in Dei nomine feliciter, amen.

N O T A T I O N E S.

Othonum Cæsarum stemma.

HENRICVS, eo nomine primus, cognomento AVCEPS, Saxonie
& Thuringie Dux, Conrado imp. an. 919. die 23. Decembris sine
liberis defuncto, Rex Germanie & Imperator an. 920. electus est,
& an. 936. decessit. Fuit Othonis Saxonie Ducis filius, qui monaste-
rium Benedictinorum in monte Lunebur exstrui iussit, & dotauit.

Henrico Aucupi vxor fuit S. Mathildis, Martyrologij Romani
tabulis ad diem 14. Martij adscripta. Liberi fuere,

Otho I. Imperator;

Bruno Archiepiscopus Colonensis;

Henricus Rixofus Bauariae Dux, de quo infra cap. 25.

Gerberga primum Gisleberto Lotharingie Duci, post Lu-
douico Transmarino Francorum Regi an. 939. nupta;

Hadevidis, Hugonis Comitis Parisiensis vxor;

Mathildis, virgo sanctæ conuersationis, quæ multis effulsiit clara
virtutibus, & ad quam Witichindus monachus Corbeiensis histo-
riam Saxonum scripsit: ut Trithemius de viris illustribus ord. S.
Benedicti lib. 3. cap. 222. loquitur.

Sub Henrico Aucupe Ludi equestres seu Torneamenta, ut vulgo
vocant, instituta sunt; ad quæ proceres Germanie magno numero
confluere solent. Primus ludus an. 935. Magdeburgi, & postremus
an. 1487. est habitus.

Aucupi in Imperio filius OTHO I. successit, qui ex Adelheide,
Rudolfi Burgundiae Regis filia, liberos reliquit, Othonem II. Cæ-
sarem, (de quo vide supra lib. 1. cap. 20.) Guilielmum Archiepi-
scopum

scopum Moguntinum, Luitolphum Ducem Sueviæ, & Luitgar-
dam, Conradi Burgundiæ Ducis vxorem.

LVI OLPHVS, ex Ita, Hermanni Sueviæ Ducis filia, sustulit Othonem Sueviæ & Bauariæ Ducem: cuius filij fuerunt Conradus Marchio Carnorum, Eckardus Marchio Thuringiæ, & Gregorius V. Papa.

Otho II. ex Theophania, Romani Imp. Constantinopolitani filia, genuit Othonem III. qui an. 1001. obijt, non relictis liberis ex Maria, Sancti Garciae Regis Aragoniae & Nauarræ filia. Successit S. Henricus; de quo infra cap. 25. 25

C A P V T X X V.

*Fretuhaldus vir nobilis omnem sui iuris hereditatem, in Comitatu
Tersterbandia sitam, dat Ultraiectino Canonicorum S.
Martini collegio cathedrali, an. 993.*

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Operæ pretium duximus, quæ subsequuntur scriptis inferere, ne posteros lateret quod prior ætas ficeret.

Quapropter desideramus notum esse cunctis sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, tam futuris quam præsentibus, quod quidam miles, nobili parentum prosapia progenitus, nomine F R E T H E B A L D V S, amore Dei salubriter instigatus, nil dubitans cum transitorijs acquirere perennis vitæ gaudia, omnem sui iuris hereditatem, quam habuit infra Comitatum Testerbant nuncupatum, cum omnibus ad eam pertinentibus (exceptis tribus mansis, & mancipijs in eis manentibus, quæ viginti erant sui curtilis mancipata feruitui) pro animæ suæ suorumque parentum remedio, tradidit & donauit S. Martino, suo spirituali patrono, ad stipendialem videlicet usum fratribus in Traiecto. commorantibus;

Ea scilicet ratione, ut pontificalis cathedralæ fratres currim ex integro . . . cum ædificijs, mancipijs, agris, pratis, pascuis, aquis aquarum us decursibus, & quidquid inde habuit, & id totum quod de ecclesia de Vtreœ structa sua subiacuit portati semotum haberent.

Cetera quæ supersunt, rebus in omnibus, cultis & incultis,
N n 3 viriusque

vtriusque monasterij fratres, ibidem Deo seruientes, æqua & pari
communiter diuident inter se diuisione.

Post decepsum vero huius Vicepræpositi monasteriorum
anniversarium non immemores præterirent pro eo lumina-
ria præsentando, cibo potuque fratres lætificando quotannis.

Dominus autem Præfus AVSFRIDVS pia memoria recolendus,
pro huiuscemodi traditionis remuneratione, ut firmior & stabilius
esset huiusmodi traditio, concessit eis singulis annis de sua parte
dari XII. libras in beneficium, dum viueret.

Qui etiam addidit, ut si ipse vel eius, quod absit, successor haec
concessa neglexerit, ipse præfatus miles de suo, quod dedit, faciat
ut velit.

993. Anno Dominicæ incarnationis nongentesimo nonagesimo ter-
tio, Indictione decima, anno vero tertij Othonis regnantis deci-
mo tertio, Imperij autem eius primo, XII. Kalendas Octobris, in
quinta feria. Actum est in Traiecto, in præsentia domini piæ recor-
dationis AVSFRIDI Præfus, suique præfulatus anno secundo, co-
ram testibus quam pluribus, quorum quorumdam hic subnotantur
nomina:

Vlfhere, Godefrit, Wiric,
Item Godefrit, Erolf, Bouo,
Ribrac, Himezo, Lanzo,
Aufrit, Gerbolt, Hildebold,
Adalhard, Acto, Poppo,

Item Poppo, & cum his multò plures.

Mox post haec subsequenti die, ut firmius & stabilius esset, infra
terminum prædicti Comitatus, in villa quoque Thiele nuncupata,
eisdem prænominatis testibus & alijs nonnullis adstantibus, sine
alicuius retractione, cum ramo & cespite, iure rituque populari
sancitum est, rationabiliterque firmatum, ut huiusmodi traditio in-
tacta & inconuulta permaneat, feliciter in Christo stipulatione
subnixa.

N O T A T I O N E S.

AVSFRIDVS) alijs Anssfridus aut Anfredus, ex Bratuspantium &
Hoenium Comite factus est Episcopus Ultraiectinus: ut in Cod.
don. p. cap. 41. & 43. docui.

CVM RAMO & cespite.) Vide supra lib. I. cap. 90.

CAPVT

C A P V T X X V I .

Otho III. Imp. Ultraiectina S. Martini ecclesiæ cathedrali an.

999. dat districtum villæ Bonele, & alia prædia;
supplicante Ausfrido eiusdem urbis Episcopo.

IN nomine sanctæ & indiuividuæ Trinitatis. OTHO, superna fauen-
te clementia, Romanorum Imperator Augustus.

Si locis diuino cultui mancipatis alicuius honoris seu proprieta-
tis supplementum præbere studuerimus, in nostræ animæ & ^{carnis} felicitate nobis diuinitus remunerari procul dubio credimus.

Quapropter optamus, ut omnibus nostris fidelibus, præsentibus
atque futuris, notum sit, qualiter nos, ob remedium animæ nostræ,
parentumque nostrorum, nec non interuentu & simplici rogatu
Ausfridi, sanctæ Traiectensis ecclesiæ venerabilis Episcopi, & Fran-
conis reuerendi Præsulis nostri prædictæ sedis Traiectensis, ecclæ-
siæ in honore S. Martini confessoris constructæ deditus, largiti-
sumus, & omnino concessimus omnem distentum super villam
Bonele, & super cuncta, quæ ad eamdem villam pertinent, videli-
cet publicæ rei subiecta.

Teloneum verò, monetam, & negotium generale fermentatae
cerevisiae, & quod vulgo Grunt nuncupatur. ^{Immo} quidquid in
iam dicta villa, ad publicum bannum siue districtum pertinere
visum est, in Comitatu Hinirongi Comitis, in pago Testerbantia
dicto, situm:

Atque eundem districtum, cum moneta, banno & teloneo, &
totius publicæ rei fruitione, prælibato cœnobio S. Martini confes-
soris penitus in perpetuum tradidimus.

Insuper sibi donauimus quidquid Popo, filius Wedigeri, habuit
in ministerium in eodem Comitatu. tali ordine, vt præfatus
Ausfridus venerabilis Præsul, suique successores, easdem res per
nostram confirmationem traditas teneat, disponat, ordinet & per-
fruatur, nostra omniumque nostrorum perpetualiter remota con-
tradictione.

Et vt hæc nostræ auctoritatis pagina firma permaneat, hanc ma-
nu propria corroborauimus, & sigillari præcepimus.

Signum

Grutt

Signum domini OTHONIS Cæsar is inuicti.

Heribertus Cancellarius, vice Willegisi Archiepiscopi, recognoui.

999. Datum II. Idus Aprilis, anno Dominice incarnationis nongentesimo nonagesimo nono, Indictione duodecima, anno tertij Othonis regnantis XVI. imperantis III.

Actum in Romano palatio, felici manu.

N O T A T I O N E S.

S. Henrici, e nomine secundi Cæsar is, stemma.

OTHO III. Imp. in Italia X. Kal. Februarij an. 1001. obiit: eius intestina Augustæ Vindelicorum, corpus Aquisgrani est conditum. Ita Contractus, Scafnaburgensis, & ms. Marianus Scotus. Successit S. Henricus: cuius stemma accipe.

Henricus Rixosus Bauariæ Dux, Henrici Aucupis Imp. filius, genuit ex Iuta, Arnoldi Bauariæ Ducis filia, Henricum Bauariæ Ducem.

Henricus ex Gisela, Conradi Burgundiæ Ducis filia, sustulit S. Henricum Cæsarem, & S. Brunonem Episcopum Augustanum: vt Antonius Albicius in Stemmatibus Principum Christianorum tradit. De S. Henrico, eiusque coniuge ac virgine S. Cunigunde in Fastis Belg. differui.

C A P V T X X V I I .

Radulphus vir nobilis, eiusq; uxor Gisla, Aicuriense Canonicorum XII. collegium in Gallo-Brabantia an. 1036. fundant: quod inde postea Louanium ad S. Iacobi adem est translatum.

IN nomine sanctæ &c indiuividuæ Trinitatis. REINARDVS Leodiensium Pastor indignus, omnibus qui sunt, & qui futuri sunt, in Christo pax & caritas multiplicetur.

Quia bene facta in lucem collocari volunt, vt per ea ad studium boni operis quam plurimi excitentur; sicut Dominus ait, Luceant opera

opera vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorifcent Patrem vestrum qui in cælis est.

Huius vocem audiens vir nobilis RADVLPHVS, cum coniuge sua GISLA, luculentum & memorabile opus vnanimiter qui prædijs & possessionibus huius sæculi abundantes, sed de fructu carnis suæ heredem nullum habentes, consilium Euangelicum simul accepérunt, vt facerent sibi amicos de rebus transitorijs, qui eos in æternam tabernacula recipiant, & seruos Christi, imò ipsius Christum Dominum nostrum heredem suum designarent.

Itaque constructa ecclesia in proprio territorio, id est, in villa quæ vocatur AVNCORT, omnes suas possessiones eidem contulerunt, ad usum videlicet duodecim Canonicorum, quos in obsequium Domini pro suis animabus ibidem constituerunt.

Quod cum nostro consilio & auxilio perfecissent, venerunt ad nostram ciuitatem, & illic tradiderunt S. Mariæ, & S. Lantberto medietatem ecclesie, & dimidium alodium, cum omnibus facultatibus suis, & Brombais, quæ sunt sitæ in Comitatu Dungleberc, & Holtam, quæ est in Comitatu Sceppes, & Wolmereis, cum dimidia ecclesia, quæ iacet in Comitatu Brunengurt, & Chierberge cum integra ecclesia, in Comitatu Anguers, & aliam integrarum ecclesiam de Opprebais.

Horum omnium traditionem fecerunt ambo Radulfus & vxor sua Gisla, ad altare S. Lantberti, me ipso Rainaldo Episcopo præsente, cum pluribus nostris fidelibus Canonicis, & nobilibus laicis, quorum præcipui isti fuerunt:

Rotfridus Archidiaconus.

Waizo Præpositus.

Nitzo Custos.

Gerardus Archidiaconus.

Ioannes Archidiaconus.

Rotbertus Archidiaconus.

Gosbertus Archidiaconus.

Comes Gilbertus.

Comes Henricus, quem super hoc fecimus Aduocatum.

Godefridus, Wolurardus, Gumbertus,

Bernerus, Griboldus, Gislanus,

Fulcuinus, Algirus, Liezelius,

O o

Girardus

Girardus, Lanzo,
Balduinus, Ioannes, Helfridus.

Nunc ergò quantum ad nos pertinet, oramus & obtestamur, per nomen Domini, ut nemo nostrorum successorum audeat de rebus supra dictis quidquam usurpare, neque commutationem neque pre-
cariam facere, neque in beneficium dare, neque unum omnino Canonicum de duodecim minuere.

Si autem sciens & cognoscens hanc rem ita firmatam esse, postea tamen contra hoc nostrum decretum fecerit, non remittatur ei hoc peccatum neque in hoc saeculo neque in futuro, sed condem-
netur cum diabolo & ejus Angelis in die iudicij.

1036. Actum in urbe Letgia, pridie Kalendas Decembris, anno Do-
minicae incarnationis millesimo tricesimo sexto, Indictione qua-
ta, anno autem regni Chuonradi Imperatoris quartodecimo.

N O T A T I O.

Canonicorum S. Petri collegium, à Radulpho & Gisla coniugi-
bus fundatum ac dotatum, ex Aicuria, olim Leodicensis, nunc Na-
murensis dioecesis vico, Louanium ad S. Iacobi templum est trans-
latum, temporibus Philippi Boni Burg. Brabantiaeque Ducis: vt
Lipsius & Vernalius in Louanio commemorant.

C A P V T XXVIII.

*Henricus III. cognomento Niger Imp. dat Nithardo Leodicensi
Episcopo Comitatum Hasbania, an. 1040.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, HENRICVS diuina fa-
uente clementia Rex.

Si fidelium nostrorum voluntati ac petitioni nostrum assensum
pium ac benevolum adhibere curamus, quin ipsi nobis in futuro
multò fideliores, & ad omne nostrum seruitium promptiores sint,
minimè dubitamus.

Quapropter omnibus diuini nostrique nominis amatoribus, tam
futuris quam presentibus, perspicuum esse volumus, qualiter NI-
THARDVS, sanctæ Leodiensis ecclesiæ venerabilis Episcopus, no-
stram

stram regalem adiit Sublimitatem, humiliter deprecans;
Ut in primis, caussa diuinæ retributionis; ac ob remedium ani-
mæ pij genitoris nostri CON RADI Imperatoris, à nobis, dum vixe-
rimus, numquam obliuiscendi, nec non ob humilem interuen-
tum fidelium nostrorum BRVNONIS sanctæ Wirceburgensis ecclæ-
siæ, & THIETRICI Metensis, venerabilium Episcoporum, ac pro
suo assiduo & fideli seruitio, quo patri nostro nobisque multum fi-
deliter seruiuit,

Comitatum ARNOLDI Comitis, nomine HASPINGA, in pago
Haspingoov situm, cum tali iure, talique districto, quale parens
noster, aut nos haecenus in illo visi sumus habere, in moneta vel te-
lonio, imò cum omni utilitate, quæ scribi aut ex cogitari potest, præ-
dictæ Leodiensi ecclesiæ, in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ,
ac pretiosissimi martyris Lamberti, qui ibidem corporaliter requi-
escit, constructæ, ea lege in proprium concederemus, ut hanc pro-
prietatem, quam haecenus in illo habuimus, præfatus Episcopus
Nithardus, siue successores ab hinc potestatiue habeant.

Et vt hæc nostræ concessionis autoritas stabilis & inviolata omni
permaneat ævo, hanc chartam inde conscribi, eamque manu
nostra propria, vt subter videtur, corroborantes, sigilli nostri im-
pressione præcepimus insigniri.

Signum Domini HENRICI Regis invictissimi.

Theodericus Cancellarius, vice Burdonis Archicapellani, re-
cognovit.

Datum IX. Kalendas Februarij, Indictione octaua, anno Do- 1040,
minicæ incarnationis millesimo quadragesimo, anno domini Hen-
rici tertij ordinationis duodecimo, regni verò primo. Actum Vlme
feliciter, amen.

N O T A T I O .

HASPINGOV) Latinè Hasbania, Flandris *Hespengon*, Gallis
Hasbaigne, prouincia frumenti feracissima, inter Thenas, Trudo-
nopolim & Traiectum Moſæ.

O O 2

CAPVT

C A P V T X X I X .

*Haspra, inter Cameracum & Valentianas sita, monacis Veda-
stini, & Anglicuria Gemeticensibus anno 1044.
attribuitur.*

Principiæternitatis Domino nostro Iesu Christo, cui soli, cum
Patre & Spiritu sancto, singularis est æternitas, omnipotencia
& incommutabilitas, sit laus perennis gloria, qui commutat tem-
porum tempora, & sæculorum disponit medicamina, solus viuit
& regnat virtute deifica.

Ego LEDVINVS Abbas, quamvis indignus, cœnobij pretiosi
confessoris Christi VEDASTI, cui Deo auctore deseruio, meam
& communis sortis caducam cognoscens conditionem,

Quoniam perpetuate leuatur, quod non immortalitate ditatur,
primum duxi, tam pro testimonio præsentium, quam pro notitia
futurorum, scriptum fieri, de quibusdam rebus prædicti patris
Vedasti, nostris temporibus commutatis, rursumque reemptis.

Nota res est, & penes nos scriptio retinetur, cum ceteris dona-
tionibus à Francorum Regibus beato Vedasto collatis, villam quæ
vocatur ANGLICVR, quæ est in Beluacensi Episcopio, antiqui-
tate esse hereditariam, cum familia, S. Vedasto.

Sed nostro tempore, dico, anno incarnationis sumini & veri
Pontificis Iesu Christi millesimo quadragesimo quarto, per Ge-
rardum Camerensem & Atrebatensem Episcopum, quæsitum
est, quærendo atque retractando alterutrum, sic peractum est:

Vt nos consilio seniorum & vicinorum, necnon nostrorum
fratrum, cellam quæ dicitur HASPRA, à Comite Richardo, &
Theoderico Abbe Gemeticensis cœnobij, dono acciperemus,
quia vicinior nobis erat:

Ipsi quoque ANGLICVR cellulam vicinorem sibi nostra do-
natione possiderent. Testes hujus rei fuerunt,

Richardus Comes, qui donationem

Robertus Archiepiscopus, frater eius.

Richardus, filius Richardi.

Robertus frater eius.

Wairinus

1044.

Wairinus Beluacorum Presul, nostrę congregationis frater.
Actum Rodomis, mense Ianuario, in octaua Epiphaniæ, In-
dictione sexta, regnante serenissimo Rege Francorum Roberto,
anno imperij sui XXVIII.

N O T A T I O N E S .

L E D V I N U S) Richardo, monasteriorum S. Vitoni Virdunensis, itemque S. Vedasti Atrebatensis Abbatii, in regimine Vedastini cœnobij successit; Præposituram de Berclou, prope Bassam opidum, fundauit, Haspram acquisiuit, & Dononiente monasterium reformauit. Vide Baldericum in Chron. Cam. l. 2. cap. 28. & 29. & lib. 3. cap. 16.

R I C H A R D U S) Comes Normanniae, filium habuit Richardum, suum in Ducatu Normanniae successorem.

G E M E T I C U M) vulgo *Iumiège*, Benedictinorum Abbatia, ad Se-
quanam fl. in Normannia & diœcesi Rotomagensi.

A N G L I C U R T) hodie Præpositura de Angicourt.

R O D O M I S) hoc est, in Rotomago.

A N N O X X V I I I .) ab obitu patris, qui an. 996. decepsit. Alibi inuenies annos Roberti Regis numeratos à tempore coronationis, viuente patre factæ, hoc est, ab an. 987. iuxta stilem Gallicum, aut ab an. 988. iuxta stilem Romanum.

C A P V T X X X .

*Leo Papa an. 1048. confirmat priuilegia Stabulensis & Malmunda-
riensis monasteriorum, ord. Benedictini, in Arduenna.*

LEOPOLDO Episcopus, seruus seruorum Dei, religioso Abbati vene-
rabilis monasterij S. Petri, sanctique Remaclii, in Stabulao posi-
ti, iusisque successoribus perpetuam in Domino salutem.

Cum summa Apostolicæ dignitatis apex in hoc dignosci-
tur præfulgere, si in exercendis Dei laudibus, sui impensis stude-
bit laboris exhibere certamen; ob hoc debita nos eiusdem Aposto-
licæ pastoralis compellit sollicitudinis cura, quæ ad stabilitatem
piorum pertinere dignoscuntur locorum, iterum perulgare &
Apostolicæ institutionis censura confirmare.

O o 3

Igitur

Igitur quia postulasti frater à nobis, quatenus monasteria in honore S. Petri constructa, id est, STABVLAVS & MALMUNDARIVM, sita in saltu Ardennensi, priuilegio nostræ auctoritatis muniremus: & quia iusta visa est petitio tua, assensum tibi præbentes,

Per huius nostri Apostolici priuilegij constitutum, sancimus atque decernimus, secundum antiquorum dicta Regum, scilicet Si-geberti, Clodouei & Dagoberti, qui & eorumdem constitutores fuere monasteriorum, necnon & Imperatorum, Caroli, Loduici & Othonis, Augustorum,

Vt loca, vel villæ aut possessiones, quæ à Regibus, Imperatoribus ceterisque bonis Christianis præfatis sanctis locis largita atque oblatæ, & in postmodum concedenda sunt, firma stabilitate, perpetuoque iure inconcussa permaneant, iuxta quod eadem loca venerabilia Apostolico, Imperiali, Regioque constituto priuilegioque constant munita; nec liceat cuiquam magnæ vel paruæ personæ inibi pertinentibus demere quidquam.

Et profecto præterea huic Apostolico decreto id vigilanter inse-
rere, atque Apostolica auctoritate roborare curauimus, vt defun-
cto per successionem Abbe, secundum quod à iam dictis Regi-
bus, necnon & Imperatoribus est diffinitum, ex utrisque in unum
cœnobiosis confluentibus monachis, habeant sine simulatione, sine
exceptione personæ, secundum S. Benedicti regulam, Abbatem
eligendi liberam optionem:

Ea tamen præponderante ratione, Malmundariensium pace, &
quia B. Remaclus utriusque monasterij constructor, & Tungren-
sium antea Episcopus & Pastor, maluit in altero eorum, id est, Sta-
bulensium, locum sepulturæ deligere sibi, ipsi primam electionis
obtineant vicem, si apud eos melior meritis, & instructior litteris
inueniatur.

Si autem non illic, sed melior Malmundarij reperiatur utrique
loco præficiendus, ab eo potius quam ab externis assumptus intro-
mittatur.

Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu præsumperit
his, quæ ad laudem Dei à nobis, pro stabilitate iam dictorum mona-
steriorum, statuta sunt, refragari, aut hæc in quoquam transgredi;
Sciatis se anathematis vinculo innodatum, & cum diabolo & eius
atrocissi-

atrocissimis pompis, atque Iuda traditore Domini nostri Iesu Christi, aeternis incendijs concremandum.

At verò, qui pio intuitu obseruator & custos in omnibus extiterit huius nostri Apostolici constituti, ad cultum respicientis, benedictionis gratiam à misericordissimo Domino Deo multipliciter consequatur, & vitæ æternæ particeps effici mereatur.

N O T A T I O .

STABVLENSIS & Malmundariensis monasteriorum initia petantur ex Sigeberti Chronico, & nostris Originibus Benedictinis.

C A P V T X X X I .

Pons lapideus Dionantensis super Moſa flumine an. 1080. adificatur, Henrico Episcopo Leodicensi, Alberto Comite Namurensi, Conone Comite, & alijs consentientibus.

IN nomine Domini. Quicumque fideles istud conscriptum legeritis, sciatis hoc factum esse voluntate & præcepto Henrici Episcopi Leodicensis & Comitis Alberti Namucensis, à me GODESCALCO Abbe sanctæ ecclesie Walciodorensis, in honorem Dei, ad confirmationem sequentis operis.

A tempore Eilberti Comitis, qui primus in Walciodoro monasticam vitam instituit, usque ad tempus istud, quo pons lapideus in DEONANT cœpit construi, nauem unam magnam, quam Bargam vocant, ad opus transuentium, habebat ecclesia Walciodorensis. Hæc dabat fratribus nonaginta quatuor denarios singulis annis, & Abbat, qui prærerat, quatuor sextarios optimi vini.

Cumque placuisset dominis, qui præerant loco, scilicet HENRICO Episcopo, Comiti ALBERTO Namucensi, CONONI Comiti, & Frunuardo Præposito, & opidaneis, Isaac Villico, & Gozuino de Rupe, & ceteris, ut pons fieret lapideus, unde villa melioraretur (nam antea quidem fuit, sed nulli erat aptus usui) conuenierunt in unum in eadem villa, III. Kalendas Septembribus.

Ibi me accersiens Episcopus prænominatus, rogatu & consilio Deonan-

Deonantensium, assentiente de hoc negotio Comite Namucensi, sub cuius aduocatione erat locus Walciodorensis, tale quid à me expetivit, ut concederem ei, caussa gratiæ & fraternitatis, in auxilium & ad sustentationem pontis, hos redditus, quos dinumerauit, & quos iure nostro accipiebamus cum naui.

Et nos pro hac vicissitudine istud priuilegium inibi ad pontem, cum nostris omnibus hominibus, & cum omnibus diuersæ ætatis & sexus, ex omnibus locis, ad locum nostrum attinentibus, & partem haberemus; ut nihil omnino ab ipsis eundo, redeundo, ducendo, vel aliquid portando intus vel foris daretur vel acciperetur; & si, quod absit, transitus destrueretur, aut nimia violentia aquæ pons dilaberetur, naum nostram ad portum nostrum, qui illuc est, reduxissemus, & redditus nostros, absque calumnia alicuius & terrore, in primis recepissemus.

In qua re nusquam assensum meum præbere volui, quoadusque Comes Albertus Namucensis beneficium atque honorem, quod ab atuo suo Comite ROBVOLDO ecclesiæ Walciodorensi, in eodem opido, ob reuerentiam Genitricis Dei, traditum fuerat, petitione adstantis Episcopi, confirmauit & renouauit:

Videlicet ut nullus ex omnibus nobis subiectis, teloneum vel munus aliquod dedisset, caussa alicuius mercati, sed securi ipsi & filij eorum permanissent ab hoc tributo & liberi.

Quo facto, cùm placuisset mihi & ceteris omnibus, concessimus & tradidimus, quæ volebat Episcopus, ea scilicet conditione, ut præfati sumus.

Actum est Deonant, Kalendis Septembbris, anno Domini millesimo octogesimo, Indictione III. anno XXV. imperij Henrici quarti Imperatoris. Testes,

Dominus Henricus Episcopus.

Godescalcus Abbas.

Albertus Comes, Godefridus filius eius, Cono Comes.

Theodericus Aduocatus, Heribrandus frater eius, Godefridus Dehili, Cono frater eius.

N O T A T I O N E S.

DEONANT) Latinè Dionantum, vulgò *Dinan*, opidum ditionis Leodicensis, mercatu celebre ad Mosam.

ROBVOLDVS)

ROBOLOVS.) Comes Namurcensis hic dicitur atavus Alberti Comitis Namurcensis: quod nota, & vide num is potuerit esse ROTBODVS Comes Namurcensis, qui cum Lamberto Comite Louaniensi an. 1013. aggressus est Baldricum Episcopum Leodicensem, in villa Hugardis: ut Baldericus in Chron. Camer. lib. 3. cap. 5. commemorat.

CONO) Comes, nisi fallor, Montis acuti, qui cum God. Bullonio in Syriam ad bellum sacrum an. 1096. se contulit.

C A P V T X X X I I .

Balduinus cognomento Hierosolymitanus, Comes Montensis seu Hannoniensis, templum in honorem Deiparae in urbe Valentianensi, à matre sua Richilde incohatum, monachis Benedictinis Hasnoniensibus an. 1081. tradit & amplificat: quod nunc S. Mariae maioris dicitur.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. BALDVINVS dono Dei Comes de Montibus, castello sito in pago Hainaueo, cunctis principibus sui Comitatus.

Gratia & misericordia omnipotentis Dei, bonas affectiones credimus inspirari, ipsasque ad profectum bonorum, ad effectum usque perducere. Quocirca si quid ad honorem ipsius nominis conatur, totum id gratiæ nominis refundimus, cuius ope rectas voluntates dirigi non dubitamus.

Ego itaque BALDVINVS Comes, filius Flandrensis monarchæ, cuius pater, meus scilicet avus, Philippum Regem Franciæ nutritum, manifestum fieri volo vniuersis Ecclesiæ Dei filijs, quod pro redemptione animarum nostrarum, seu antecessorum nostrarum, ego & mater mea RICHILDIS, satis religiosa femina, & eleemosynis valde intenta, edificare cœpimus quoddam oratorium in honore S. Mariæ matris Domini, & Virginis, pro voto nostro consecrandum, in possessione nostra, videlicet secus castrum opidi VALENTIANARVM.

Qui locus ne diuinis vacaret cultibus, clericos ibidem ad Deo seruiendum constitutus, & liberum ab omni seculari consuetudi-

ne fecimus, & Briulum, hoc est, pratum, eidem loco ab occidente contiguum, cum terra vsque Gaugeoli pratum, liberum ei dedimus, & omnium cambarum in nouo Burgo factarum vel faciendarum tertiam partem redditum, ad Comitem pertinentem attribuimus, praeter cambam Aquicinensium, & Lamberti, Augustini, & Waldeberti de Mathem, & Burchardi & Godeberti mediatem, etiam villæ Alnetum vocatæ, liberam in terra & prato & aqua & hospitibus, cum familia similiter eiusdem fisci prædicto loco concessimus.

Sed postquam mater mea ex hac vita decepsit, exoptans supradictum locum ad honorem Dei amplificari, & pro salute animæ meæ ibidem commorantes vacare feruentius & arctius sacræ religioni, suggestente etiam GODEBERTO religioso clero, eiusdem loci prouisore, annuente domino GERARDO Cameracensi Episcopo atque fauente, atrio monasterij iam ab eo benedicto, locum illum ab omni sæcula i lege vel consuetudine liberum, banno scilicet, latrone, inuentione, furto, foro, feratico, teloneo, ambitum etiam, præcincturam atrij vel claustrum, hoc est, totum monasterium, id est, monachorum officinas, & omnia quæ ad illud pertinent tradidi S. PETRO principi Apostolorum, cœnobij HASNONIENSIS, sub manum Abbatis,

Ea ratione & dispositione, vt ibidem fratres sub habitu monachali & norma Deo dilecti patris Benedicti Christo militantes constitueret, & tamquam propriam cellam, absque ullius refractione, perpetuo iure possideret.

Quam traditionem vel donationem firmam inuiolatamque ab omnibus confirmari volo, & cum testium ad stipulatione subscriptorum, tum etiam sigilli nostri impressione confirmo;

Ne quis videlicet modò viuentium vel successorum amodo illam conetur infirmare, ne quem à cœnobio sancti Petri Hasnoniæ sapientium locum quacumque occasione præsumat auferre, ne quis habitantibus ibi fratribus aliquam molestiam, vel de rebus pro eleemosyna sibi concessis aliquam torturam audeat inferre.

Si quis verò hæc, quæ pro absolutione peccatorum meorum, & matris meæ RICILDIS, ad honorem Dei statuimus, molitus fuerit infringere, tremendo Dei iudicio se sciat subiacere, & nisi pœnituit,

rit, non solum pro suis, sed etiam pro alienis reatibus Inferni pœnas
subire. Huius donationis testes,
Seggardus & Arnulphus.

De laicis,

Hugo filius, & Vrſio frater eius.
Almannus, Heubrandus, Elgerus,
Balduinus & Walterus frater eius,
Roigerus de Tudin, Manasses, Walterus de Mauritania,
Walterus Duacensis, voluntariè pauper,
Odo Maior.

Anno ab incarnatione Domini Iesu Christi M. LXXXI. Indi- 1081.
&jone IX. Concurrente III. anno Imperatoris Henrici ab obitu
Patris sui xxxii. à benedictione verò sui in Regem xxxv. confir-
mata est hæc charta, & à fratre Waltero, alio monacho S. Petri
principis Apostolorum conscripta, & testimonio etiam ipsius con-
firmata.

N O T A T I O N E S .

CVIVS pater, meus scilicet avus.) Balduinus Insulanus h̄ic desi-
gnatur: de quo vide Cod. don. piarum cap. 69.

RICHILDIS.) Ragineri IV. Hannonia Comitis filia & heres, duos
maritos habuit. Ex priore, Hermanno Comite Thuringiæ, peperit
Rogerium, à nativitate clausum, qui Episcopus Catalaunensis fuit.
Ex posteriore, Balduino VI. Flandriæ Comite, nati Arnulfus In-
felix. Flandriæ Comes, & Balduinus Ierosolymitanus, cuius diplo-
ma h̄ic habes.

VALENTIANA.) seu Valentinianæ, *Valenciennes*, v̄rbs nobilis ad
Scaldim, suos olim Comites habuit.

BRIVLVM.) Brulum, vel Brolium, Germanicè *Brenl*, significat
pratum, aut viuarium seu parcum ferarum.

GERARDO II.) Cameracensi Episcopo.

HASNONIENSIS.) cœnobij in Hannonia: de quo supra non
vno loco.

CAPUT XXXIII.

Conradus Comes Lucelemburgensis in opido Lucelemburgo, Bene dictinus sodalibus an. 1083. Munsteriense B. Mariæ cœnobium construit.

IN nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Ego CONRADVS Comes, licet serd, inspiratione diuinæ gratiæ ad pœnitentiam provocatus, eleemosynis & ceteris pietatis operibus peccata mea redimere statui.....

Cœpi itaque in monte hoc, vbi nullus parentum meorum prius adorauit Dominum nostrum, domum Domini in honore & veneratione Apostolorum principis à fundamentis construere.... absque calumnia alicuius hominis, seu Aduocatiæ præter me & succelfores meos.....

Quæ omnia ut magis rata essent, acta sunt annuente uxore mea

1083. *CLEMENTIA, cum filijs & filiabus nostris, in præsentia domini Metensis Episcopi Herimanni, anno millesimo octogesimo tertio, pridie Nonas Iulij.*

NOTATIONES.

Huic diplomati appensum est sigillum, equitis armati effigiem exprimens, hac inscriptione, CONRADVS Comes de Lucelemburch.

Munsteriense cœnobium, à Conrado patre incohatum, GUILMVS filius & in Comitatu Lucelemburgi successor perfecit, prædiaque ab eodem attributa confirmauit; edito diplomate, ex quo hæc habe:

Ego Wilhelmus Comes de Lucelemburg cupiens imitari patrem meum Conradum Comitem, & perficere quod ipse incœpit..... huius confirmationis & supradictæ constitutionis nostræ chartam ego & filius meus Conradus super altare ipsius cœnobii posuimus.....

Huic diplomati similiter appendet sigillum equitis armati, cum ista: Sigillum WILHELMI Comitis de Lucelemburch.

CAPUT

C A P V T XXXIV.

*Philippus Comes Loensis, Roberti Frisi Flandrorum Comitis filius,
an. 1093. Loense Canonicorum regularium cœnobium, in
diœcesi Iprensi, fundat ac dotat.*

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Intuenti mihi, quando sacerdotalis honor eò quidem ad amplitudinem veram confendet, quò statuere diuinum, imò extollere modis omnibus laborat, placuit mihi quatenus in hoc gymnasio quasi spectaculis interessim, dum ea concederem, quæ pro posse meo præludere valerem: & quidem ut manifestius videoas quod dico, verborum meorum ista est solutio.

Ego enim PHILIPPVS, filius Roberti Marchionis cognomento Frisonis, locum quendam in Flandria possideo, Lo quidem vocabulo, sub ditione autem mea ex toto. Quo in loco B. Petrus mansionarios quosdam sibi vendicauit, super quos tamen Comitatum & aduocationem habebam, & de his etiam redditum debitum exigebam.

Sed quoniam placuit mihi, ut in domo Dei offerrem quæ possem, Comitatum & aduocationem, stallum & teloneum, & quidquid sacerdotalis iuris super terram ac mansionarios S. Petri habebam, vel antecessores nostri; Deo sanctoque Petro ac Canonicis famulantibus concessi: me quidem his omnibus exuens, potestatiique eorum scilicet Canonicorum donans ac subiiciens.

Et hoc quidem pro salute & anima mei ipsius, seu anima patris mei, ac salute fratri mei ROBERTI Comitis Flandriæ, omniumque animarum nostrarum, libenter facio.

Ad huiusmodi donationem fratrem meum Robertum Marchionem Flandriæ inuito, ut sciant omnes, quia concedimus ambo, coram his testibus,

Bernoldo Watenensi Præposito,
Roberto Canonicō,
Godeberto Præposito ipsius ecclesiæ,
Theobaldo Iprensi,
Radulpho filio Rauemari,

P p 3

Gilberto

Gilberto de Maro,
 Eustathio de Vsen, Tiberto fratre ipsius,
 Radulpho de Castelo,
 Gerardo de eodem,
 Frinaldo de Cassel,
 Thoma Camerario,
 Frumaldo de Stenuord,
 Odulfo Camerario,
 Adam fratre Theobaldi.

1093. Actum est hoc anno Dominicæ incarnationis millesimo nonagesimo tertio, Indictione prima, regnante Philippo Francorum Rege, Roberto ipso Flandriam gubernante, pontificante autem domino Gerardo Morinorum Praefule.

N O T A T I O N E S.

Fundationis seu donationis huius, à Philippo Comite Loensi factæ, meminit Meierus lib. 3. Annalium Flandriæ.

Lo) in diœcesi Iprensi, Canonicorum regularium olim Præpositura, nunc Abbatia.

Lo) in diœcesi Tornacensi, prope Insulas, est Abbatia monachorum ord. Cistertiensis, Latinè LAVS.

C A P V T X X X V.

Lacensis Abbatia Benedictinorum, in diœcesi Treuerensi, vulgo ad Lacum, cis Mosellam, prope Antonacum, an. 1093. fundatur ab Henrico Comite Palatino Rheni, eiusq; coniuge Adleide.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego HENRICVS Dei gratia Comes Palatinus Rheni, & dominus de Lacu.

Ad inueniendam quietem humilium spiritu, notum facimus cunctis Christi nostrisque fidelibus, tam futuris quam præsentibus, quod cum absque liberis essem, annuente & cooperante uxore mea ADLEIDE, pro remedio animæ meæ, & æternæ vitæ consecutione, de patrimonio meo, scilicet LACHO, in honore beatæ Dei Genitricis Mariæ, sanctique Nicolai, monasterium regulæ monasticæ cultoribus

coribus incolendum fundauit, proprijsque bonis dotaui, sub præsentia & cognitione domini HILBERTI venerabilis Treuitorum Archiepiscopi.

Aduocatum verò non alium, quām me ipsum, quamdiu vixero, huic cœnobio constituo: post mortem verò meam, quem fratres præfati monasterij, siue ex priuignis meis, siue in prouincia, viribus & benignitate, sed & subueniendi oportunitate idoneum prouiderint, eiusdem monasterij familijs & possessionibus præficiatur Aduocatus, quod dicitur *Dingroget*: si tamen hoc decretum & subscriptum se obseruaturum esse promiserit, videlicet si bona ecclesiæ viriliter tueri, & familiam eius clementer & humanè tractare voluerit.

Nouerit itaque omnino sibi obseruandum, ne Aduocatiam vel coniugi in dotem, vel alicui in beneficium dare præsumat, nec alium pro se substituat, cùm sciat hunc honorem se hereditatio iure non contingere, sed hanc prouisionem pro remedio animæ suæ, ad tutelam monasterij, de manu Abbatis se suscipere.

Præterea nec aliquando in bonis ecclesiæ hospitando, ecclesiam vel familiam eius grauet, nec iniusta seruitia ab ea, neque violentas exactiones, quas precarias vocant, aliquando exigat.

In cuius Aduocati negotio non aliis minister, neque Vicarius, neque Subaduocatus præterit, nisi qui Villicus Abbatii fuerit. Numquam ad publicum placitum considebit, nisi à fratribus, si res ita poposcerit, inuitatus fuerit. Cùm inuitatus fuerit, seruiatur ei quodd honoris eius sit congruum, & pati possit ecclesia; ne vel sumptuum eius, vel comitatus nimietate contristetur.

Ita verò agat, & tam pium, tam modestum, tamque benignum fratribus & familijs eorum se exhibeat, vt dignus honore sui nominis existat, & pro officio fideliter administrato remunerationem à Christo, beata Maria interueniente, suscipiat.

Quod si timoris Dei oblitus, quos fouere debuerat, violenter opprimerit, & admonitus infra sex hebdomadas non satisfecerit, tandem ecclesiastico anathemate percussus, Aduocatiam amittat, & alium fratres, potentia, modestia, & defendendi possibilitate utilem & efficacem sibi eligant, qui sub prædicta conditione ipsam Aduocatiam administraturus suscipiat.

De cetero desidero, & quantum de mortuo viuens possum firmare

miter statuo, ut vbi cumque in prouincia vita excessero, nisquam nisi in p̄fato monasterio sepeliar. Idem de Aduocatis omnibus, & de uxore mea fieri volo & constituo.

Ne autem quisquam heredum meorum vel successorum, aliquam injuriam Domino Deo & beatæ Mariæ quandoque inferre intendat, de bonis à me huic monasterio collatis ea nominatim supponi placuit, quæ & Episcopali banno confirmari fecimus:

Scilicet Crufft cum ecclesia, Bedendorff, & Heimbach, & eorum adiacentia, Belle, Feide, Alkane, Willenburgh.

Hæc, inquam, beatæ Mariæ tradidi, cum omnibus appenditijs, id est, cum vtriusque sexus mancipijs, ædificijs, areis, exercitibus & redditibus, agris, quæsitis & conquirendis, pratis, pascuis, vijs & inuijs, aquis aquarumque discursibus, molis, molendinis, punctionibus, vineis, vinetis, siluis, atque cum omni utilitate, quæ vlo modo inde prouenire poterit.

1093. Acta sunt hæc anno incarnationis Domini millesimo nonagesimo tertio, Indictione prima, regnante serenissimo Imperatore Henrico tertio, anno autem regni eius tricesimo octauo, pontificatus vero domini Hilberti Treuirorū Archiepiscopi quarto decimo.

Vt autem hæc nostra traditio firma & inuiolabilis in perpetuum permaneat, chartam hinc inde conscriptam sigilli nostri impressione insigniri fecimus. Huius constitutionis testes sunt,

Dominus meus HILBERTVS Treuirorum Archiepiscopus.

Sigefridus priuignus meus.

Henricus Dux de Limbergh.

Wilhelmus Comes de Lutzenburgh, cognati mei.

Walrauius, & frater eius Volcko, Comites de Arlon.

Dudo Comes de Lucenburgh.

Hermannus Comes de Virnenburg.

Messridus Comes de Wiede, & frater eius Richvvinus de Kempenich.

Burckhardus de Vlbrick, & frater eius Henricus.

Reinboldus de Issenburgh.

Wolkoldus de Broel.

NOTATIONES.

Diploma istud ex tabella templi Lacensis Marquardus Freherus descripsit,

descripsit, & in Originum Palatinarum Partem 2. cap. 9. retulit.
HILBERTVS) alias Helbertus, & Ingelbertus, Treuerorum Archiepiscopus.

HENRICVS Dux de Limberg) seu Limburg, qui post God. Bullonium an. 1100. Hierosolymis sine liberis defunctum, ab Henrico IV. Imp. Ducatum Lotharingia inferioris impetravit. Miror tamen in isto diplomate, quod an. 1093. datum est, ipsum vocari Ducem, non autem Comitem.

WILHELMVS) Comes de Lutzenburg, Conradi filius, & Conradi II. Comitis Lutzenburgensis pater: de quo supra lib. 2. cap. 33. & in Stemmatibus Belg. cap. 17. egimus.

COMITES de Arlo) siue Arlon, in ditione nunc Luxemburgensi.

Ceterum Lacense monasterium ædificari cœptum HENRICVS Comes Palatinus, morte præuentus, non absoluit: quod postea priuignus eius SIFRIDVS, seu Sigefridus, itidem Comes Palatinus Rheni, perfecit: iuxta diploma, quod licet imperfectè conscriptum, ex eadem tabella Freherus desumpsit, & typis publicauit.

Sifridi, Comitis Palatini ad Rhenum, diploma de eiusdem monasterij Lacensis ædificatione absoluta.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego SIFRIDVS gratia Dei Comes Palatinus notum esse volo fidelibus, qualiter & à quibus ecclesia, quæ vocatur LACVS, constructa sit, & libertati tradita.

Prædecessor & dominus meus HENRICVS Comes Palatinus, exhortante vxore sua, ADLEIDA videlicet matre mea, prædictam ecclesiam ædificare cupiens, fundamentum eius tantummodo posuit, & iam morte imminente, sicut bonorum suorum, ita quoque huius laboris, ecclesia scilicet perficiendæ, heredem me instituit.

Quod primum quidem, vixione iuuenis, neglexi, postmodum vero pœnitentia ductus, quod neglexeram, deuotissimè corrigere studui

N O T A T I O .

Reliqua desiderantur in prædicta tabella. Habuit autem Comes hic Sifridus vxorem GERTRVDEM; adeoque diuersus fuit ab illo, cui coniux GENOVEFA Brabantina: ut ait loco cit. Freherus.

Q. 9

CAPVT

CAPVT XXXVI.

Urbanus II. Papa, Atrebatensem Episcopatum à Cameracensi, cum quo hactenus fuerat unitus, separat, & ea de re ad Clerum Atrebatensem scribit, an. 1093.

VRbanus II. seruus seruorum Dei dilectis filijs ALARDO Atrebatensi, & BERNARDO Ostreuannensi, Archidiaconis, ac omnibus Præpositis & Decanis, cum omnibus clericis, qui in prædictis Archidiaconis sunt, salutem & Apostolicam benedictionem.

Apostolicæ nos sedis compellit auctoritas, vniuersis per orbem terrarum Ecclesijs prouidere, & sua iura poscentibus paterna compassione succurrere. Quia igitur Atrebatensis ecclesia, multis iam temporibus propria carens dignitate, Cameracensis ecclesiæ iugum pertulit, dignum profecto duximus, vt propitiante Domino amissa ei dignitas, ex Apostolicæ sedis benignitate, restitueretur. Neque enim subiectionem Atrebatensis ecclesiæ aliquod Romanæ auctoritatis chyrographum Cameracensibus vendicat, & Atrebatensis vrbis populositas longè illam, cui hactenus subdita fuerat, antecedit.

Et Canonum itaque decretis, & prædecessorum nostrorum exemplis freti, nunc tandem, annuente Domino, Atrebatium iustis votis & petitionibus importunis effectum dedimus, & venerabilem virum LAMBERTVM, quem communi assensu electum ad nos, cum communi decreto, adduxerant, in Episcopum consecravimus, quæque ad Atrebatensem parochiam antiquius pertinuisse noscuntur, ipsi & ipsius successoribus perpetuò regenda & Episcopali iure possidenda priuilegijs auctoritate confirmauimus; nominam Archidiaconias duas, quarum una *Atrebatensis*, altera dicitur *Ostreuannensis*.

Vestrā ergo dilectionem litteris præsentibus admonemus atque præcipimus, vt ei deinceps tamquam Cardinali Episcopo, & tamquam B. Petri manibus consecrato, subesse & obedire iuretis. Vnde & vos & clericos vniuersos, qui in prædictis Archidiaconis sunt, à professione Cameracensis ecclesiæ absoluimus.

Si qui verò inter vos huius nostræ constitutionis tenore perspe-

cto,

et, prædicto confratri nostro Atrebatensi Episcopo obedire contemperint, quamcumque in eos sententiam ipse Episcopali moderatione dictauerit, auctoritatis nostræ pondere firma permaneat.

Data Romæ VIII. Kalendas Aprilis.

N O T A T I O .

O S T R E V A N N E N S I S .) Sunt hodieque duo Archidiaconi in diœcesi Atrebatensi, videlicet Atrebatensis, & Ostrevannensis seu Oitrobantensis.

C A P V T X X X V I I .

Robertus cognomento Hierosolymitanus, Flandriae Comes, Roberti Frisi filius, in Terra sancta militans, facto voto, Abbatiam S. Andreae, Benedictinorum, prope Brugas, institui per uxorem suam Clementiam iubet: Baldrico Tornacensi ac Nouiomensi Episcopo approbante an. 1105.

IN nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Ego BALDRICVS,
Dei gratia, Tornacensium atque Nouiomensium Episcopus, omnibus hic & ubique fidelibus in æternum gaudere cum gaudentibus.

Nulli pñne fidelium in vniuerso orbe terrarum constat esse incognitum, ROBERTVM iuniorem Flandrensum Marchionem, in Ierosolymitano exercitu, præ ceteris omnibus ducem & signiferum Christianorum extitisse, & ad laudem & gloriam nominis Christi contra paganos fideliter & viriliter dimicasse.

Hic cum per varia bellorum pericula Antiochiam peruenisset, & inibi vnà cum ceteris Christi fidelibus, ab innumerabili superuerterium paganorum multitudine obsecus fuisse, duxi spiritus inflammatus igne, & B. Andreæ Apostoli succensus amore (per ipsum enim visitauit, vt aiunt, & liberavit eos Dominus) voulit illico in quodam monasterio, prope Brugis sito, in honore eiusdem Apostoli consecrato, in ipsius veneratione monachos se instituturum.

Q q 2

Cognito

Cognito itaque, eiusmodi votum, absque nostro assensu, se adimplere non posse, dilectissimæ sibi coniugi suæ CLEMENTIA Comitissæ (quam in omnibus bonis sibi confidebat obedire) legatos direxit, & litteras continentes, ut sua ex parte pastoralitatis nostræ prouidentiam consuleret, & altare supradicti monasterij à nobis (ad nostram enim diœcесim pertinebat) postularet, in quo monachos constituere posset.

Audita igitur prædicti militis Christi Roberti, Flandrienſum Marchionis, viri sui, legatione, venerabilis Comitissa Clementia præsentiam nostram adjit, & ad complendam viri sui voluntatem, altare de *Betferkerca* (hoc enim nomen prædicti loci antiquitus dicebatur) humiliter & deuotè postulavit.

Cuius humilitatem & deuotionem considerans, Lamberto Archidiacono, ceterisque clericis nostris affidentibus, Rainero quoque eiusdem altaris persona collaudente, supradicto altari ius libertatis, sub priuilegiij auctoritate, condonauit, & pontificali dignitate illud confirmaui; ea scilicet conditione, quod inibi monachi constituantur.

His ita peractis, postquam prædictus Comes Robertus, superatis gentibus, rediit, consilio Principum suorum, me etiam annuente, supradictum locum Abbatii Affligemensis ecclesiæ ea lege commendauit, ut monachos ex cœnobio suo inibi constitueret, & secundum incrementum exterioris substantiæ, monachorum quoque numerum suppleret, & regimen loci ipsius tam ipse, quam posteri eius, perpetuo iure obtinerent.

Annuimus autem hoc ea ratione, vt ipse Abbas mihi meisque successoribus de eodem loco debita subiectione obediat; vt omnibus ritè ordinatis monachi liberi maneant, & securè Deo seruant, nullo eos inquietante, nullo ab eis exactionem aliquam exigente.

Concessimus etiam, vt Abbas seu monachi presbyterum in eodem loco constituant, qui ab Episcopo vel ministris eius curam parochianorum suscipiat, & tam pro se quam pro eis rationem reddat.

Ne ergò quis priuilegij huius auctoritatem violare præsumat, anathemate interdiximus, & sigilli nostri impressione consignauimus; præsentibus his, quorum subscripta sunt nomina:

Signum domini Baldrici Episcopi.

S. Archi-

S. Archidiaconi Lamberti.
 S. Desiderij Decani.
 S. Berthulphi Præpositi.
 S. Conradi.
 S. Gualberti.
 S. Raineri.
 S. Blithronis.
 S. Guidonis Cancellarij.
 S. Comitissæ.
 S. Roberti Castellani.
 S. Cononis.
 S. Lamberti Nappin.
 S. Tagmari.
 S. Fredebaldi.

Actum Brugis, anno Dominicæ incarnationis millesimo cente- 1105.
 simo quinto, Indictione octaua, regnante Rege Philippo, episco-
 pante domino Baldrico, Roberto iuniore principante cum uxore
 sua Clementia.

N O T A T I O.

BALDRICVS) seu Baldericus, Tornacensis & Noviomensis Episcopus, scriptor Chronicus Cameracensis, Duaci per Coluenerium publicati.

C A P V T X X X V I I I .

*Robertus Hierosolymitanus, Flandria Comes, ex Syria domum
 reuersus, monasterium S. Andrea prope Brugas
 dotat, an. 1105.*

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego ROBERTVS vni-
 uersæ Flandriæ post Deum Princeps, diuinæ admonitioni aurem
 cordis inclinans, quæ ait, Thesaurizate vobis thesauros in cœlo,
 vbi nec ærugo, nec tinea demolitur ; simulque considerans diuitias
 mundi & gloriæ corruptioni obnoxiam, necessarium duxi, ut per
 manus fidelium aliquid illò præmitterem, quod moriens integrum
 ipuenirem.

Q 93

Pro

Pro mea itaque meorumque salute, à domino BALDRICO imperiaui, ut altare de Betferkercka, quæ & Straten appellatur, in honore B. Andreæ Apostoli fundatum, libertate donaret, & ex dominicatura mea duas partes decimarum eiusdem ecclesiæ, tam mea quam omnium potestate absoluens, libertati & memorato Apostolo, ad construendum inibi cœnobium monachorum, tradidi.

Et quia tunc temporis bonus odor spirabat ex area Affligemensis cœnobij, prædictam ecclesiam Abbatii Affligemienſum nomine Fulgentio, tam ipſi quam posteris eius in regimine succendentibus, ea lege gubernandam tradidi, ut pro facultate loci, monachos de cœnobo suo illò transferret, & quantumcumque ex processu temporis, eamdem ecclesiam per oblationes fidelium, Dominus ditaret, iuxta considerationem facultatis, monachos ipſe multiplicaret, & eidem loco tamquam suo præsideret, pastorali potestate & paterna prouidentia.

Quod ne quis successorum meorum infringere, vel ab alijs fidelibus collatum seu conferendum eidem ecclesiæ auferre præsumeret, charta & sigilli mei impressione confirmaui. Facta est autem hæc traditio Brugis, coram subscriptis testibus.

Signum Stephani de Boulae.

S. Amorici de Muene.

S. Walteri Flamens.

S. Reinardi Castellani de Bruchburch.

S. Freolfi Castellani de Berghen.

S. Theoderici de Esne.

S. Harket, filij Castellani.

S. Radulphi, & Rauemari fratr̄is eius.

S. Zethabaldi.

1105. Anno Dominicæ incarnationis millesimo centesimo quinto.

N O T A T I O.

ROBERTVS Hierosolymitanus, Flandriæ Comes, obiit an. 1111.
Atrebatii ad S. Vedastum conditus.

CAPUT

C A P V T X X X I X .

*Lambertus Episcopus Atrebatensis prædia Strumenſis cœnobij (quod
est monialium Benedictinarum in agro Atrebatensi)
confirmari postulat à Paschali II. Papa.*

Ruerentissimo domino & patri patrum carissimo, PASCHALI
Papæ LAMBERTVS, Dei miseratione Atrebatum Episcopus,
continuam Spiritus sancti consolationem.

Soror & filia nostræ Ecclesiae, Abbatissa FVLGENDIS præsentium
latræ, multum rogauit, per nos Sanctitati vestræ commendari. Ro-
gamus ergo paternitatis vestræ dulcedinem, quatenus præsentem
Abbatissam, in eo quo nunc est loco, professione & ordine, pon-
dere vestræ auctoritatis, salvo in omnibus iure & canonica disposi-
tione Atrebatensis Episcopi, confirmare dignemini.

Locum monasterij, qui dicitur *Strum*, & altare de Hamartuilla,
sicut prædecessor meus dominus GERARDVS Episcopus concessit,
& scripto suo consignauit; nos quoque spe & amore religionis, huic
præsenti Abbatissæ, succendentibusque sibi Abbatissis, in monasterio,
quo nunc esse dignoscitur, regulariter electis, canonicè promouen-
dis, & absque sæculari strepitu victuris possidendas concedimus.

Ceteras autem res & possessiones iustè acquisitas & acquiren-
das, propter infestationes & deprædationes prauorum hominum,
nihilominus corroborare velitis. Sancta Trinitas, Deus noster, sol-
licitudinem vestram diutius custodiat in columem, pro Ecclesia san-
cta Catholica laborantem & orantem.

N O T A T I O N E S .

PASCHALIS II. Papa an. 1099. creatus, an. 1118. decepsit.

LAMBERTVS primus ac proprius Episcopus Atrebatensis (post
separationem à sede Cameracensi) an. 1093. ab Urbano II. datus,
an. 1115. obiit. Cuius hoc epitaphium Atrebati in cathedrali legitur:

Anno Domini millesimo centesimo decimo quinto, xvii. Kalendas Iunij, obiit beatæ memorie Lambertus huius Atrebatensis
sedis Cardinalis Episcopus. Per hunc restituta est dignitas huius
Episcopatus, quæ per multa tempora Cameracensi Episcopo fuerat
commen-

commendata. Huic Episcopo, & duobus iaculatoribus, Itherio & Normanno, beata Maria in ecclesia apparuit, dans eis candelam, per quam sanantur ardentes igne malo.

De cereo isto Atrebatenſi fusē egimus in Fastis Belg. 30. Iunij.

C A P V T X L.

VVillelmus, Flandriæ Comitis filius, an. 1118. Loense monasterium dotat.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego WILLELMVS, Dei miseratione Philippi Comitis filius, mente pertractans quam nihil sint vniuersa, quæ temporaliter currunt, reuera perpendo, quod nullæ possessiones vel hereditates melius ac tertiū conseruantur, quam quæ in cælestes thesauros manibus pauperum iugiter collificantur, seruorumque Dei vīsibus in perpetuum profutura offeruntur.

Vnde pijs petitionibus domini GERARDI libenter assentiens, Loensi ecclesiæ S. Petri Apostoli, cui idem, Domino gubernante, deferuebat, tres mensuras, pro remedio animæ meæ, ac patris mei, omniumque parentum meorum, omnino ab omni exactione & debito in perpetuum liberas contradidi; denique huius donationis confirmationem, concedente uxore mea, feci.

Et sciant vniuersi sanctæ Ecclesiæ filij, quoniam ambo concedimus, ut prædictæ mensuræ, ad opus Canonicorum, & sustentationem pauperum, in potestate supra nominati Præpositi, successorumque eius, omni tempore consistant, & ab omni grauamine mundanæ oppressionis in sempiternum quietè permaneant.

Et ut hæc meæ deuotionis oblatio irrefragabiliter confirmetur, & à nemine mortalium temere infringatur, chartam istam sigilli mei impressione ego signari decreui, subsequentibusque testibus astipulando corroborauī.

Signum Fibelfi Castellani Bergensis.

S. Tietbaldi Ariensis.

S. Goiffridi.

S. Rodulfi fratris eius.

S. Eustathij.

S. Alardi

- S. Alardi de Warnestun.
 S. Dirolfi Iprensis.
 S. Soeri, & Fromoldi fratrī eius.
 S. Willelmi Præpositi Iprensis.
 S. Gerbodi Canonici Iprensis.
 S. Thomæ presbyteri Loensis.
 S. Gerardi eiusdem ecclesiæ Præpositi.
 S. Folperti, Winnardi, Erchenbaldi, Hugonis, presby-
 terorum.
 S. Balduini presbyteri & Canonici.
 S. Veirani.
 S. Ruanonis, & Hugonis, clericorum.
 S. Petri Scholastici & Notarij.

Actum est autem hoc anno Dominicæ incarnationis millesimo 1118.
 centesimo decimo octavo, Indictione decima tertia, regnante Lu-
 douico Francorum Rege, regente Flandriam Carolo Comite, pon-
 tificatus vero domini Calixti II. Papæ anno primo, Episcopatus
 autem domini Ioannis vigesimo.

N O T A T I O .

PHILIPPI.) Legendum fortasse, Roberti Comitis filius. Stem-
 mata nostra Principum Belgij cap. 19. consule.

C A P V T X L I .

*Ioannes Morinensis seu Taruanensis Episcopus an. 1119. confirmat
 institutum & prædia monasterij Loensis, quod est Canoni-
 corum regularium in diœcesi nunc Iprensi.*

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. IOANNES Dei gratia
 Morinorum Episcopus vniuersis Ecclesiæ Catholicae filijs gra-
 tiā & consolationem sancti Spiritus.

Quoniam gentium Doctor & Apostolus nos specialiter admo-
 net, vt bonum operemur ad omnes, maximè autem ad domesticos
 fidei, placuit nobis ecclesiam in honore S. Petri Apostoli fundatam,
 in villa quæ vulgo dicitur Lo, ab omni spurcitia & simonia infamia
 R r diligen-

diligenter mundatam, dedicare, ipsamque cum omnibus, quæ ad eam pertinent, ad sustentationem Canonorum, ibidem secundum regulam B. Augustini Deo seruentium, liberrimè liberam facere; excepto quod singulis annis sex solidos Taruanensi Episcopo debent persoluere.

Vita namque canonice ordinem, quem professi sunt, præsentis priuilegij auctoritate firmamus: & ne cui post professionem exhibet proprium quid habere, neve sine Abbatis vel congregationis licentia, de clauстро discedere liceat, interdicimus.

Ipsis itaque suisque successoribus, in eadem religione permanuris, ea omnia perpetuò possidenda sancimus, quæ in præsentiarum obtinere videntur, ecclesiam scilicet ipsam S. Petri, cum tertia parte decimæ de annona, & tota decima trium diuisionum, sicut antiquitus disparitæ sunt in parochia.

Imò cum vniuersa decima lini, agnorum, ceterorumque animalium, vel fructuum, terram etiam, quam Winnardus, Euerardus, Rembaldus, Dodo & Dodinus, Veiramus & Erenbaldus, Canonici, atque Ingramus laicus, conuerzionis suæ tempore, S. Petro obtulerunt, & terram quæ vulgo dicitur Ecclesiæ terra, Stocheto, Roiameth, & quæ Præconis atque Oufridi terra vocatur, omnemque simul terram tam à parochianis, quam à ceteris fidelibus, pro redemptione animarum suarum, & parentum suorum, prædictæ ecclesiæ S. Petri contributam.

Quæque verò PHILIPPVS, filius Roberti Marchionis cognomento Frisonis, cum fratre suo Roberto Comite Flandriæ, eidem ecclesiæ concessit, Comitatum videlicet & aduocationem, stallum & teloneum, & quidquid secularis iuris super terram & mansionarios S. Petri habebat, & quæcumque deinceps concessione Pontificum, liberalitate Principum, vel oblatione fidelium, iustè & canonice adepti fuerint.

Item statuimus, ut obeunte eiusdem loci Abbate, nullus ibi quilibet subreptionis astutia vel violentia intrudatur, nisi quem fratres communi consensu, vel certè fratum pars consilij senioris, de suo, si idoneus inuentus fuerit, collegio, secundum Dei timorem, sibi præesse prouiderint.

Quod si huic regimini congrua persona in eadem congregacione non fuerit, cum consilio Episcopi & aliorum religiosorum virorum,

rum,

rum, aliunde talis eligatur, qui tam dignitate loci, quam speculatio-
ne magisterij dignè eis præponatur.

Si qua sane ecclesiastica sacerdotalis persona hanc nostræ consti-
tutionis paginañ sciens, temere eam infringere tentauerit, secun-
dò tertioe commonita, si non satisfactione condigna emendaue-
rit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino
iudicio de perpetua iniquitate cognoscat, & à sanctissimo corpore
Dei ac Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in
extremo examine districtæ ultioni subiaceat.

Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus sit pax Domini no-
stri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bona actionis percipient,
& in futuro apud districtum Iudicem præmia æternæ retributionis
inueniant.

Actum est hoc anno Dominicæ incarnationis millesimo cente-
simo nono decimo, Indictione duodecima, regnante Ludouico
Francorum Rege, Karolo Comite Flandriam regente, anno Papa-
tus domini Calixti primo, & præfulatus domini Ioannis vigesimo:
& confirmatum coram his testibus.

1119.

Signum Harberti Archidiaconi.

Walteri Archidiaconi. Lamberti Abbatis.

Ingelberti Abbatis. Arnulfi Præpositi.

Wilhelmi Præpositi. Hugonis Præpositi.

Goselini Decani. Walteri Thesaurarij.

Bernardi Capellani. Hugonis Magistri.

Hugonis Furnensis. Walteri Furnensis.

Ioannis Arienensis Præpositi.

Lamberti Casletensis Præpositi. Fulcardi Decani.

Hugonis Decani. Eremaldi Decani.

Alaini Decani.

Arnulfi Decani. Normanni Decani.

N O T A T I O .

IOANNES Morinensis Episcopus varia Canonicorum regularium
cœnobia in sua diœcesi fundauit vel auxit; in his & S. Martini I pren-
se, quod nunc est cathedralē Canonicorum sacerdotalium collegium.

Rr 2

CAPVT

CAP VT XLII.

*Campi veteris monasteriam, ord. Cisterciensis, prope Rhenobercam,
diæcessis Coloniensis opidum, an. 1122. fundatur ac
dotatur à Frederico A. Coloniensi.*

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. FREDERICVS, Dei gratia Archiepiscopus sanctæ Coloniensis ecclesiæ, omnibus in Christo pie viuentibus tam præsentibus quam futuris.

Quamquam primi parentis excessu, in huius exilio ærum nosam cœxitatem à gaudio beatæ felicitatis deiecti sumus, non tamen ita præcisi atque abrupti sumus, vt non etiam in rebus his mutabilibus degentés, æternam beatitudinem quærere debeamus.

Quod quidem & nos, licet indigni, perspicue considerantes, quidquid spei, quidquid recompensationis misericordiae operibus fit, non ignorantēs ad honorem gloriae magni Dei, ad decorum domus Domini, aliquos nouellæ plantationis Cisterciensis ramusculos, hortis ecclesiæ nostræ spiritualiter inserere, propositum assumpsimus; quorum sub umbra si forte coalueret spiritus noster, à curia liber exterioribus aliquando requiesceret, ibique cubans in meridie decolorantis æstum solis subterfugeret.

Huius itaque rei confidentia animati, freti & erexit, tandem accito fratre ARNVLPHO, viro quidem satis religioso, qui quondam nostræ matris ubere lactatus, in virilis iam animi robur euaserat, contemptoque mundi flore, diuersis diuersarum virtutum gradibus incedens, MORIMUNDENSIS videlicet ecclesiæ, curæ pastoralis sollicitudine, præerat, inter cetera, vt aliquos de pusillo grege sibi credito, suæque professionis monachos ad nos transferret, quantum ad cœnobij vnius institutionem sufficeret, voluimus, petuimus & impetravimus.

Quos humiliter adductos, & læta expectatione receptos, in loco solitario, qui CAMPVS vulgo dicitur, prudeenti prudentum consilio, instigante Spiritu sancto, benignè collocauimus: quibus etiam suisque successoribus, B. Benedicti regulam pari ordine, id est, secundum instituta Cisterciensium, seruantibus, locum prædictum tam à curia nostra in Berke, ad quam pertinere videbatur, quam incolis

incolis eiusdem loci, liberè absolutum, cum omni decimatione & vtilitate, agris videlicet cultis & incultis, siluis, aquis aquarumque decursibus, paludibus, pratis & pascuis, (concessa etiam ijs ut circumiacente silua, quæ ad ius Episcopale pertinet, quantum ad porcorum pabula, & ad instauracionem officinarum suarum opus fuerit) clementi benignitate manumisimus, concessimus & æterniter tradidimus.

Præterea quæcumque pia fidelium liberalitate ibidem Deo famulantibus collata sunt, vel conferri possunt, sub B. Petri defensionis cautelam suscipimus, colligimus & comprehendimus.

Vt autem liberiū diuino operi iugiter insudare valeant, non solum eos à Decani & Archidiaconi, verùm etiam ab omni sacerdaci jurisdictione perpetualiter absoluimus: nec nisi in quantum primæ institutionis eorum priuilegium patitur, ex Episcopali dignitate ab illis exigimus, nec amodo exigendum decernimus.

Proinde vt paginæ huius memorabilis edicta rata permaneant & inconcusa, tam banni auctoritate quam sigilli nostri impressione corroborauimus:

Hoc specialiter subnectentes, vt nulla umquam cuiuscumque dignitatis, gradus vel ordinis persona audeat, vel presumat ipsam ecclesiam, vel religiosè in illa famulantes ullo modo inquietando molestare, vel de suis mobilibus vel immobilibus ausu temerario attingere.

Quoniam dignum est, vt qui continuo obsequio Christi solius militia excitantur, indeficientis nostræ inspectionis salubri munimine protegantur

N O T A T I O N E S.

Ex Campo veteri multa monachorum eiusdem ordinis monasteria, velut filiæ, prodierunt: vt

VALKENREDA in diœcesi Moguntina, prope Harthoniam, an. 1128. fundata à Margarita Comitissa de Clettenberg.

Volkolderda in Thuringia & d. Moguntina an. 1131. ab Helinburge Comitissa de Glichen.

Amelangesborna in Saxonia & d. Hildeshemensi, an. 1135. à Sigefrido Comite Boremelburgio.

R r 3

Harsvvi.

Harfsvirehusa in Westphalia & d. Paderbornensi, an. 1141. à Bernardo Episcopo Paderbornensi.

Lapis S. Michaelis, Michelstein, in Saxonia & d. Halberstadiensi an. 1146. à Beatrice Abbatissa Quendelburgensi.

Campus-nous, in d. Suerinenfi, anno 1234. à Wenceslao Rugiae Principe.

Ex his & alia plurima monachorum eiusdem instituti cœnobia prodierunt, vt

Aula Regis in Bohemia,

Lucka in Saxonia an. 1143.

Nouale S. Mariæ, Marienraed, in d. Hildesheimensi 1244.

Puppelinum in Prussia.

Campus S. Mariæ in d. Monasteriens, 1185.

Haut procul ab vrbe Coloniensi est & MONS VBTVS, ab Eberhardo, Adolphi Comitis Montensis fratre, fundatus, castro Aldenburgensi in monasterium ord. Cist. commutato.

C A P V T X L I I I .

Walterus de Trudeneris, vir nobilis, monasterio S. Laurentij Leodicensis, dat prædium suum Auernense, in Comitatu Steppensi. Quam donationem suis litteris confirmat Albero Leodicensis Episcopus an. 1124.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego ALBERO gratia Dei Leodiensis Episcopus, notum facio præsentibus & fuiuris Christi fidelibus,

Quia Walterus de Trudeneris liber homo, prædium quod habebat in minori Auernas in Comitatu de Steps, tradidit, pro salute animæ suæ, ad altare B. Laurentij, ex integrotam in culturis & pratis, quam in nemore & censu & familia, quæ illo tempore in ipso manebat prædio, cum omnibus usuarijs & appenditijs suis, cum omni decima indominicatus proprij, necnon & tota iustitia ipsius prædij.

Aduocatiam vero ipsius prædij liberam reliquit in manu Leodiensis Episcopi, vt ei soli de omni iniustitia reclamet ecclesia S. Laurentij, & vt nunquam eandem Aduocatiam in beneficium det alicui. Nam in pretium redemptionis animæ suæ, ipsum allodium

Deo

Deo & S. Laurentio obculit, & ideo Leodiensem Episcopum Advocatum ibi esse voluit, qui specialis prouisor & pastor erat ipsius Walteri, tamquam liberi hominis, sicut & cæterorum liberorum hominum principatus proprij.

Homines verò, qui de terra censuali eiusdem prædij sunt beneficiati, fundos suos ab Abbatे tenebunt, sicut eo die tenebant, quo ipsum prædium S. Laurentio est traditum, nec præter simplicem terræ censum aliquod requisitionis ius, siue villam distinctionem ibi habebunt: quia omnia hæc ad Abbatem pertinentia sunt, & ei de omni iniustitia est proclamandum.

Dissinitum est etiam, ut nec Walterus dum viuit, nec post eum Abbas aliquis quidquam de terra & decima indominicali, vel de censu, siue de omni reditu eiusdem prædij beneficiare aut diminuere possit; eò quodd eleemosyna Deo & S. Laurentio oblata sit.

Ipse verò Walterus vsumfructum eiusdem prædij in vita sua sibi ex integro retinuit: & ideo, ne vel ab ipso dum viuit, vel ab aliquo, postquam obierit, villa surreptione infringi possit, summam terræ ad indominicatum S. Laurentij pertinentis, summam quoque census, aliorumque redituum, hic subannotari placuit.

Primo quidem totam decimam ad indominicatum S. Laurentij pertinentem, siue in fructibus terræ cultilis, siue in fructibus domestici nutriminis: deinde viginti bonaria terræ indominicalia, & de terra censuali solidos XLI. & III. denarios, in tribus terminis, Epiphania scilicet, & Nativitate sancti Ioannis, & festiuitate S. Remigij. Quattuor quoque modios auenæ, in solennitate S. Martini, & XXII. capones in Natali Domini, & octo panes, cum totidem cereuisiæ picarijs.

Familia quoque ipsius prædij, id est, serui & ancillæ singulis annis censum soluent capitis sui denarios X. vnum ad altare S. Laurentij, in festiuitate S. Martini. Et cum aliquis eorum sine herede obierit XII. denarios dimittet ecclesiæ S. Laurentij.

Quæ omnia nos rata & inconuulta perpetuò manere decernimus, & pro confirmationis testimonio chartam hanc conscripsi iussimus, & nostri sigilli impressione roborauimus, excommunicantes & æternæ maledictionis anathemate condemnantes eos, qui quouis malignitatis ingenio quidlibet horum infringere tentauerit, & ecclesiæ S. Laurentij villam inquietudinem aut molestiam concitauerit.

Testes

D I P L O M A T A

Testes fuerunt Archidiaconi omnes.

Andreas Præpositus.

Henricus Decanus.

Henricus junior.

Alexander, Adelmanus, Seppe,

Emmo, & alij multi ex clero S. Lamberti.

De nobilibus viris.

Godefredus Comes Namurcensis.

Arnulfus Comes Loslensis.

Gisbertus Comes de Thuerate.

Lambertus Comes de Monte acuto.

Wigerus Aduocatus.

Willelmus de Lossez.

Godeschalcus de Mereleuers, frater eiusdem Walteri, &
alij multi de familia ecclesiaz.

Theodericus de Ponte.

Widericus de Prato. Auelinus.

Lambertus de Hoyo, & Arnulphus frater eius.

Albertus de Villier, & Theodericus frater eius, & alij
multi.

1124. Actum Leodij anno Dominicæ incarnationis millesimo cen-
tesimo vicesimo quarto, Indictione prima, regnante Henrico V.
anno regni eius decimo septimo.

N O T A T I O.

S. LAURENTII monasterium, ad muros urbis Leodicensis si-
tum, describitur in nostris Originibus Benedictinis.

C A P V T X L I V.

Theodericus Alsatius, Flandriæ Comes, eiusq; vxor Suanehilda,
prædia & priuilegia Loensi monasterio à prædecessoribus suis
concessa, firmant anno 1130.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego THEODERICVS
Dei gratia Comes Flandriæ, cum generosa uxore mea SVANE-
HILDA, confirmando priuilegia prædecessorum meorum Rotherti
&

& Karoli, terram Preconis, ceterasque possessiones, quas S. Petro de Lo dederunt, Comitatum etiam, stallum, totiusque opidi teloneum, expeditionem, & quod Teutonicae dicitur *Balguart*, tenuoram & ceditionem, atque omnem exactionem, vel quidquid sacerdotalis iuris super terram ac mansionarios eiusdem S. Petri habuerunt, ob remedium animæ meæ & parentum meorum, libenti animo concessi Canonicorum ibidem Domino seruientium usibus profutura in perpetuum.

Si autem fuerint duella, raptus mulierum, quod vulgo de *VVifuerdragan*, homicidia infra predictos terminos extra atrium euenerint, & horum quorumlibet reus inibi capiatur, vel si ecclesia de huiuscmodi clamorem mihi faciente, sententia capitali aut membrorum mutilatione iuste damnetur, quod modum vel vires eius excedit, hoc procul dubio ad ius meum pertinebit: ea videlicet conditione, ut si reus per pecuniam redemptus fuerit, duas partes pecuniae, pro emunitate ecclesie habeat, tertia vero meis usibus cedat.

Ne ergo cuilibet hominum liceat eamdem ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerarijs vexationibus fatigare, huius doni collationem sigilli mei impressione munio, coram subtitulatis testibus:

Iuvaino de Truncinis,
Daniele de Tenremonde,
Willelmo de Boulara,
Waltero de Tornaco,
Willelmo, filio Philippi Comitis,
Waltero filio Alardi,
Gerardo Camerario,
Willelmo Castellano de S. Audomaro,
Isaac Formosolensi,
Henrico Broburgensi,
Lamberto de Rinenghelles,
Anselmo, & Baldevino fratre suo,
Volcrano de Lampernissa.

Actum est hoc anno Dominicæ incarnationis millesimo centesimo tricesimo, Indictione octaua, regnante Ludouico Francorum Rege, & presidente Gerardo quinto Præposito memorata ecclesie.

ss

Idem

1130.

Idem facit Philippus Alsatius, Theoderici filius, Flandria & Veromandia Comes anno 1181.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego PHILIPPVS Dei gratia Flandriæ & Viromandiæ Comes, confirmando priuilegia prædecessorum meorum, Roberti, Karoli & domini Theoderici, patris mei, terram Preconis, ceterasque possessiones, quas S. Petro de Lo dederunt, Comitatum etiam, stallum, & totius opidi teloneum, & expeditionis retinendæ libertatem, & quod Teutonicè dicuntur *Balguard*, tensuram, & creditionem, atque omnem exactiōnem, vel quidquid sacerdotalis juris super terram ac mansionarios eiusdem S. Petri habuerunt, ob remedium animæ meæ, & parentum meorum, libenti animo concessi, Canonicorum ibidem Deo seruientium usibus profutura in perpetuum, &c. *vt supra*.

Ne autem &c. *vt supra*, coram subtitulatis testibus,

Gerordo de Mecinis,

Anselmo Præposito de Euersam,

Waltero de Lo,

Waltero Camerario de Ipra,

Riquardo Blauoet de Furnis, & alijs multis.

1181. Actum est hoc incarnationis Dominicæ millesimo centesimo octogesimo primo.

N O T A T I O N E S.

THEODERICVS Alsatius an. 1168. obiit, Watenis secundo lapide ab Audomaropoli sepultus.

PHILIPPVS Theoderici filius decepit anno 1191. sine liberis, in obsidione Ptolemaidis in Syria.

CAPVT

C A P V T X L V .

*Lotharius III. Caesar, Richilde coniuge sua & Conrado Comite
Lutzeburgensi potentibus, anno 1131. dilatat viam
naualem in alveo Sura fluminis, eamq; concedit
Abbatii Epternacensi.*

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. **LOTHARIUS** tertius
Dei gratia Romanorum Rex.

Cum venissimus Epternacum, implorandi gratia S. Clementis
Willibrordi patrocinia, notum factum est nobis, antecessorem no-
strum Imperatorem Henricum concessisse Epternacensi Abbatii
suisque fratribus, libera potestate vti nauium cursu & recursu, per
alveum fluminis, quod dicitur **SURA**, iudicario iure Principum,
sua Imperiali annotatum dominationi; sed rectorum incuria, &
ximulorum perfidia frequenter impeditum.

Quod nos ægrè ferentes, volumus renouare, & salutis nostræ
gratia, regalis sigilli nostri impressione confirmare.

Et quia experti sumus rei veritatem à maioribus natu Treuericæ
sedis, testimonium perhibentibus, rogatu & auxilio coniugis no-
stræ **RICHILDAE** Reginæ, & Episcopi Megingoti de Merseburg, &
Comitis **CONRADI**, qui præest eidem Abbatia,

Mittimus nuntios nostros, ad terminandam & dilatandam mar-
cam, seu naualem viam in alveo supradicti fluminis xx. pedum la-
titudinis, hoc est, Gerardum de castello Rutich, & cum eo maio-
res de Abbatia, necnon Lodevigum primorem Treuerorum, &
cum eo meliores de ciuitate, quos ipse elegerit.

Huic negotio interfuerunt

Episcopi,

Stephanus Metensis Episcopus,
Henricus Tullensis,
Meingotus Merseburgensis.

Abbates,

Gerardus S. Maximini de suburbio Treuerensi,
Lantfridus Prumiensis,

S f 2

Wieboldus

Wieboldus Stabulenensis.

Ex laicis,

Wilhelmus Palatinus Comes,
Conradus Comes de Lucelenburg,
Comes Otto de Rincke, fraterque suus de Salmes,
Hermannus Comes,
Comes Reinoldus de Montzum,
Gerlacus Comes, fraterque suus Imecho,
Comes Meinhardus de Spenheim,
Bernhardus de Huonstaden,
Adolphus de Saphenberg.

Ex Ministerialibus Treuerensibus,

Ludovvitus palatij Custos.
Item Ludovvitus, Henricus, & ceteri plures tam ex cle-
ro, quam ex laicis de Epternaco.
Cuono Winitore.

Godefridus Rauanger.

Signum domini LO THARII tertij Regis inuidissimi.

Tietmarus, ad vicem Adelberti Archicancellarij, recognouit.
1131. Datum VIII. Kalend. Maij, anno incarnationis Domini M.C.
XXXI. Indictione VIII. anno verò regni domini Lotharij tertij,
De gratia, Romanorum Regis serenissimi sexto.

Aetum Treueris feliciter, amen.

N O T A T I O N E S.

Henrico V. Imp. anno 1125. Ultraiecti defuncto, successit LO-
THARIVS III. Dux Saxonum, Aquis-grani Idibus Sept. coronatus,
vt Anselmus Gemblacensis testatur.

Idem ab Innocentio II. Papa, anno 1131. die 11. Aprilis, Domi-
nica 4. Quadragesimæ, Leodici coronatus est, cum Richilde con-
iuge sua: vt Dodechinus, Otho Frisingensis lib. 7. cap. 18. &
Ægidius Aureæ Vallis monachus commemorant. Obiit III. Kal.
Decembris, anno 1137. vt idem Dodechinus, & scriptor Auctarij
Gemblacensis testantur: quod nota contra Baronium, Lotharij
obitum ad ann. 1138. refarentem. Successit CONRADVS, Henrici
V. Imp. ex sorore nepos, anno 1138. Dominica 4. Quadragesimæ
Aquis-grani coronatus.

CONRADVS

C O N R A D V S Comes, qui præest Abbatia) Conradus, inquam, Comes Luxemburgensis, Guilielmi filius, qui inter testes laicos hic numeratur. Fuit autem Abbas commendatarius Epternacensis, ut ante ipsum Sigefridus, & alij nonnulli Comites Luxemburgenses.

R E I N O L D V S de Montzum) vulgò Pont à Mouzon: quod est opidum Lotharingiæ superioris, Academia clarum. Reinoldus hic, cognomento Monoculus, fuit primū Mussyponi, pōst Barri Comes: vt And. Quereturanus lib. 4. cap. 16. Hist. Burg. narrat.

S P A N H E I M) siue Spanheim, Comitatus hodieque notus in Palatinatu Rheni. Est ibidem, prope Crucenacum opidum, Spanhei-mense Benedictinorum monasterium, cuius Abbas fuit & Chro-nicon scripsit Ioannes Tritthemijs.

C A P V T X L V I .

*Idem Lotharius III. Imp. petente uxore sua Richinza, decimas
vicorum de Santfliten & Orderen, Canonicis ecclesie
Antuerpiensis ab Henrico V. Imp. anno 1119.
datas, confirmat anno 1133.*

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. **L O T H A R I V S**, diuina fauente clementia, tertius Romanorum Imperator Augustus.

Cum in ijs, quæ à nobis iuste & rationabiliter petuntur, omnium petitioni condescendendum sit, præcipue exauditionis aures illis præbere debemus, quorum fidelitatem experti sumus & deuotionem.

Adhibito itaque scripti nostri testimonio, tam futuris quam præsentibus notum esse volumus, qualiter nos, instinctu dilectæ nostræ **R I C H I N Z A E**, petitioni fidelis nostri Magistri Rathvardi acquieci-mus, ecclesiamque S. Mariæ Dei genitricis, quæ est in burgo, qui vocatur **A N T V V E R P**, debita amplectentes veneratione, decimam omnem, quæ continetur à terminis Zantfliten usque Olmeremu-then, ab antecessore nostro Imperatore Henrico quarto, ecclesiæ S. Michaelis in eodem burgo collatam, cum integritate Præpositu-ræ, & omnibus appenditijs suis, præfatæ ecclesiæ S. Mariæ affig-namus.

S. f. 3.

In

In qua confirmatione, priorem tenentes dispensationem, decreuimus, vt quarta pars prædictæ decimæ Præposito, reliquæ verò præfatae ecclesiæ S. Mariæ incommutabiliter seruant.

In uiolatam itaque esse volentes nostræ confirmationis auctoritatem, præcipiendo iubemus, vt nullus Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, nulla denique magna paruaue persona, in his concessis, saepius dictam ecclesiam inquietare, diuertire, aut molestare præsumat.

Si quis verò contra hoc conari præsumperit, centum libras aurum, medietatem cameræ nostræ, & medietatem præfatæ componat ecclesiæ.

Quod ut verius credatur, & ab omnibus diligentius custodiatur, præsentis decreti paginam sigilli nostri impressione notauiimus. Huic autem confirmationi idoneos adhibuimus testes,

Brunonem Colonensem Archiepiscopum,

Episcopos,

Andream Traiectensem,

Werinherum Monasteriensem,

Alexandrum Leodiensem,

Luihtardum Cameracensem,

Adelberonem Basiliensem,

Palatinos Comites,

Ottonem & Fridericum,

Adelbertum Marchionem.

Signum domni Lotharii tertij Romanorum Imperatoris invictissimi. Ego Berthulus, vice Voelberti, recognoui.

1133.

Data anno incarnationis Domini M. C. XXXIII. Kal. Ianuarij, Indictione vndecima, anno verò regni Regis Lotharij nono, imperij secundo. Actum Aquisgrani in Christi nomine feliciter, amen.

N O T A T I O N E S.

RICHINZA,) Richilda seu Richildis, Lotharij III. Imp. coniux.
HENRICO Quarto) aliás Quinto, si Henricum Aucupem Imperatoribus annumeres: vt lib. 1. cap. 41. explicui. Henrici diploma anno 1119. (non an. 1125, vt vitiosè excusum legitur) Traiecti datum, exstat in Cod. don. piarum cap. 81.

ZANTFLI

ZANTFLITEN) nunc Santvliet, vicus ad Scaldim, inter Antuerpiam & Bergas ad Zomam, olim piscatorum copia potens.

OLMEREMVTHEN) nunc Olmeren, vicus Brabantiae, eodem in tractu.

C A P V T X L V I I .

Gosuinus dominus Heinsbergensis & vxor eius Aleidis fundans monasterium Heinsbergense, quod nunc est virginum ord. Præmonstratensis in Ducatu Iuliacensi, & diœcesi Leodicensi; confirmante Alexandro Episcopo Leodicensi anno 1165.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. ALEXANDER secundus Dei gratia Leodiensis Episcopus omnibus catholica Ecclesiæ filijs, tam præsentibus quam futuris in perpetuum.

Si officij nostri locum & dignitatem consideremus, necessarium est ut bona non tantum coram Deo, sed coram omnibus hominibus faciamus, & piam fidelium intentionem erga sanctam ecclesiam debita auctoritate roboremus.

Nouerit itaque dilectio vestra, quod dominus Gozvinus secundus Henesbergensis, & vxor eius ALEIDIS, animarum suarum, parentum quoque & filiorum memores, basilicam monti suo collateralem, in honore Domini nostri Iesu Christi, matrisque ejus fundauerunt; & eam per manum prædecessoris nostri Heinrici consecratam, & mancipijs, agris & arbustis dotatam, diuinæ servituti obtulerunt.

Anno vero Dominicæ incarnationis millesimo centesimo sexagesimo quinto. Indictione decima quarta, regnante Friderico Romanorum Imperatore, in ecclesia B. Mariæ in Aquis-grani, ab ipso fundatore Gozvino, & filiis eius PHILIPPO Archidiacono, Gozvino, Godefrido. consentientibus, rogati sumus, quæ prædictæ basilicæ dotis sunt allodia (ne aliquis ausit diripere ab ipsis fratribus ibi Domino militantibus) banno sancire, & summam totius redditus eiusdem basilicæ scripto enumerare.

In ipso etenim fundo Henesbergensi cum agris & arbustis mansi duo; Rode mansi vndecim; Waldenrode mansi duo; in loco qui

qui vulgo Ad querum dicitur, mansus & dimidius. Eundem quoque locum communionem siluae & pastus, per suæ potestatis ambitum, habere instituit.

Communicato itaque consilio cum ipso domino Gozvino & filiis eius, maximè rogatu domini Philippi Præpositi maioris ecclesiæ & Archidiaconi, hæc confirmata sunt & sigillo nostro roborata III. Idus Martij, quod tunc erat in Capite ieiunij in celebri curia nostra Leodij, & testes idonei susperati, quorum sunt nomina,

Dominus Elbertus Archidiaconus.

Dominus Reinerus Archidiaconus.

Dominus Almericus Archidiaconus.

Dominus Balduinus Archidiaconus.

Dominus Bruno Archidiaconus.

Dominus Hubertus Decanus S. Lamberti.

Abbas Drugo S. Iacobi.

Abbas Euerhelmius S. Laurentij.

Abbas Gerlandus Floreffiz.

Abbas Lucas de Cornillon.

Godefridus Dux Louaniæ.

Heinricus Comes Namucensis.

Lodevvcus Lonensis.

Herevvigus Decanus.

Rutgerus filius domini Gozvini.

Ne igitur quisquam huic liberæ traditioni in posterum contraire præsumat, omnimodis prohibemus, & sub anathematis intentione interdicimus.

N O T A T I O N E S.

Gozvinus) seu Gosuinus dominus Heinsbergensis, & vxor eius **Aleidis** seu Adeleidis, ad pedem arcis Heinsbergensis, monasterium in honorem S. Mariæ & S. Ioannis Euangeliæ construxerunt ac dotarunt, quod intra muros opidi Heinsbergensis hodie moniales ord. Præmonstratensis, nobili genere natæ, possident. Fuit olim extra muros situm, vsque ad ann. 1542. quo conflagravit, bello inter Carolum V. Cæsarem & Guilielmum Iuliæ Ducem sanguine.

Est

Est autem Hensberga seu Heinsberga opidum Ducatus Iuliacensis, & dioecesis Leodicensis, cuius opidi dominium ad Iuliacenses Principes est deuolutum ; familia veterum dominorum Heinsbergensium emortua.

FRATRIBVS ibi militantibus.) Ut alia pleraque Præmonstraten-sia, sic & Heinsbergense monasterium olim fuit vtriusque sexus: vt datur intelligi ex subsequentibus diplomatibus. Hodie Præposi-tum habet ex ord. Præmonitratensi, qui monialibus præst.

LODEVICVS Lonensis) seu Loslensis Comes.

C A P V T X L V I I I .

*Philipus Heinsbergius, Coloniensis Archiepiscopus, monasterij
Heinsbergensis fundationem, à patre suo Gosuino & matre
Adelaide factam, an. 1180. confirmat.*

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, ego PHILIPPVS, Dei gratia sanctæ Coloniensis ecclesiæ Archiepiscopus, omnibus Christi fidelibus in perpetuum.

Cum omnibus in bono seruire debeamus ecclesijs, maximè tam honestum est, ad confirmationem veritatis, nos cooperatores exhibere domesticis.

Nouerit ergo omnis futura generatio, quod dominus meus & pater carnalis Gozvivus huius nominis secundus de Heinsberg, & domina mea & mater Adeleidis, consentientibus omnibus heredibus suis, meipso scilicet & fratribus meis, Gozvino, Hermanno, Godefrido, sororibusq; Vda, Methide, Salome, partes allodium sui, duos videlicet mansos, qui fuerunt feudum Godefredi, item duos mansos qui fuerunt Arnoldi, continuatim iacentes, in suburbio ipsius castri, pro salute animarum suarum, omniumque parentium, Deo omnipotenti intima atque perfecta voluntate obtulerunt, constructa ibidem ecclesia in honore Dei & sanctissimae atque ipsissimae genitricis ipsius Mariæ, ad altare ipsius in die consecrationis, quando a domino Henrico secundo, pia memorie Leodiensi Episcopo, praedicta consecrata est ecclesia, addito insuper allodio suo, quod dicitur Rode Huberti.....

De cetero quantcumque libertatem potuerunt, tam ipsi
Tt quām

quām Leodiensis Episcopus dominus Henricus eidēm ecclesīa concesserunt: ita vt si, Deo auctore, vel Pr̄positura, vel alio quolibet Prioratu sublimari possit, sola electione fratrum, & nulla violenta accessione extrancorum promouetur, quicumque ipsis maximē idoneus videbitur. Isque curam fratrum de manu Episcopi, gratis & absque omni contradictione, suscipiat.

Nulli denique Archidiacono, nulli Decano, excepto suo Pr̄posito vel Priore, rationes reddant de suā familiā delicto. Oleum quoque & christma ab ipso Leodiensi Episcopo quilibet fratrum accipiet in Pascha, à quo & potestate habent recipiendi ad baptismum & communionem liberorum hominum infantes, vel quicunque ab eis exigunt, cum Parochiani sui licentia.

In ægritudine verò mortis positus curiam Haneberg, quæ quinque mansos habet, & in Hage Sittert viginti bonuaria tradidit. In via Schinwelt allodium, quod soluit dimidiā marcam, tam ipse quām domina mea, per manus nostras & fratriis mei Godfridi, pr̄dictarū dederunt ecclesia

Hanc igitur donationem & libertatem tam legaliter factam, quamvis non titulo Episcopatus aut Archiepiscopatus, tamen iure ad nos respiciat, auctoritate Dei omnipotentis atque nostra communimus, & sigilli nostri impressione signamus: & ne qua in posterum spiritualis secularisue persona imminuere aut infringere audeat, sub anathematis vinculo interdicimus. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis millesimo centesimo octogesimo.

Aliud eiusdem Philippi Heinsbergi, Coloniensis Archiepiscopi, diploma, an. 1183. datum.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego PHILIPPVS
ut supra: Nouerit ergo omnis futura generatio, quod dominus meus & pater carnalis GOZVINVS huius nominis secundus de Heinsberg emerit quoddam allodium, scilicet vndecim mansos, à manu cuiusdam liberi Baronis Huberti, & eos S. Mariæ cōnobio in Heinsberg contulerit.

Sed quoniam, ut omnibus notum est, acta plurima ætas diluit, pater meus prædictus Gozvinus, & mater mea Aleidis, hos manus eo iure S. Mariæ contulerunt, ut à nullo quod datum est & in agris

agris. & in filiis impediretur, sed sola libertate doni, & Aduocati sui intuitu, ecclesia illa frueretur.

Notum etiam esse volumus omnibus fidelibus, quod ego PHILIPPVS & frater meus GODFRIDVS, post obitum parentum nostrorum, tres mansos illi ecclesiae contulimus in Rode: & sicut quidam Hezelinus, & vxor eius Gertrudis, possederant, & in agris & in filiis legem confirmamus. Hæc facta sunt in præsentia

Leodienfis Episcopi Rudolfi, &
Præpositi summae ecclesiae Coloniensis Brunonis, &
Comitis Gerhardi de Gelren, &
Comitis Alberti de Molbach, & aliorum multorum tam
clericorum quam laicorum

Acta sunt hæc anno Dominice incarnationis millesimo cente- 1183.
simo octogesimo tertio, Indictione secunda, regnante Friderico
Romanorum Imperatore.

Cælestini Papæ IIII. diploma, an. 1194. scriptum.

CÆLESTINVS Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis in Christo, OFFICIAE Magistræ & sororibus ecclesiae S. Mariæ in Heinesberg, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum

Vestrī iustis postulationibus clementer annuentes, & præfatum monasterium S. Mariæ, in quo diuino mancipatæ estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum & B. Augustini regulam in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obseruetur

Locum ipsum, in quo præfata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentijs suis, possessiones quas habetis in Heinesberg, & bona quæ habetis in Rode, & ea quæ habetis in Humberse & in Hoenge, & alia quæ à bona memorie Philippo Colonensi Archiepiscopo & à Radulfo quondam Leodicensi Episcopo monasterio vestro confirmata sunt, vobis auctoritate Apostolica confirmamus

Datum Laterani, per manum Ægidij S. Nicolai in carcere Tulliano diaconi Cardinalis, VI. Nonas Iulii, Indictione XII. anno Do-

1194. minicę incarnationis millesimo centesimo nonagesimo quarto,
pontificatus verò domini Cælestini Papæ III. anno quarto.

*Rudolphi Leodicensis Archidiaconi diploma,
an. 1201. datum.*

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. RUDOLPHVS, diuina
permittente clementia, Leodiensis ecclesiæ Archidiaconus, vni-
uersis Christi fidelibus, qui hoc scriptum impexerint, salutem in
perpetuum.

Prælentis scripti attestatione notum esse volumus, quod cœno-
bium quoddam S. Mariæ prope castrum in Heinsberg, quod ex re-
ligiosis fratribus & sanctimonialibus feminis, dominus Gozvvi-
nus secundus, & vxor eius Aleidis, in suo allodio construxerunt;
crescente iam religione, pro numero fidelium ibidem Deo famu-
lantium, non est sufficenter ab his fundatoribus dotatum

Quapropter dominus Gosvvini de Valckenberg, nepos iam
dicti Gosvini, & domina ALEIDIS, neptis eius, decreuerunt ec-
clesiam de Geilenkirchen, quę ad eorum pertinebat patronatum, pre-
dicto cœnobio vacantem conferre. Pari quoque donatione præta-
xati nobiles G. & A. stipendum cuiusdam præbendæ de Geilenkir-
ken ad supradictum claustrum transtulerunt.

Istorum verò nobilium piam institutionem sanctaque desideria
dominus ALBERTVS Leodiensis Episcopus debita benignitate
confouens, fratres illius claustri, nomine ecclesiæ suæ sibi præsen-
tatos, dono altaris in Geilenkirken inuestiuit, quod eo tempore, post
obitum domini Ottonis Archidiaconi, ad eum pertinebat, curam
animarum iisdem fratribus indulgens.

Cùm autem huius rei ordinem iuste ac legaliter, coram Priori-
bus Leodiensis ecclesię, & fratribus Svestrensis Capituli, effectui
mancipatum prædictus dominus Albertus Leodiensis Episcopus,
scripti sui sanctione, ac sigilli sui munimine confirmare debuisset,
morte præuentus id non perduxit ad effectum.

Nos verò, quia domino Ottoni in Archidiaconatu successimus,
& religiosas personas in Archidiaconatu nostro constitutas in sua
iustitia fouere debemus, donationem altaris in Geilenkirken, his
fratribus factam, ratam habentes, totam huius rei seriem auto-
ritate

ritate nostra confirmamus, cum signis authenticis domini Gozvini & Aleidis, qui duo facti huius auctores fuerunt, nostræ quoque imaginis sigillum præsenti scripto imprimentes.

Data Svestris in generali Capitulo, in prima Dominica post Pascha, anno incarnationis Domini millesimo ducentesimo primo, Concurrente vii. Epacta xiv. Indictione iv. Huius rei testes sunt

1201.

Ericus Decanus prædicti Capituli,
Herimannus Factor de Svestris,
Willelmus Præpositus Marnensis, & omnes fratres Svestrensis Capituli.

N O T A T I O N E S .

Gozvinus de Valckenberg) fuit dominus opidi Falcoburgensis, ut arbitror: quod dominium, nobis Brabantis Transmosanum, hodie sub Ducatu Limburgensi comprehenditur, vna cum ditione Dalhemensi & Rodecensi.

ALBERTVS Leodiensis Episcopus) Godefridi III. Lotharingiae
Brabantiaeque Ducis filius, apud Remos an. 1192. martyrio corona-
tus, quiescit Bruxellis in regio Carmelitanarum virginum cœnobi-
o ; an. 1612. Remis eò translatus, & Martyrologio Romano ad-
scriptus, ad diem 21. Nouembri. Fastos nostros Belgicos confule.

Svestris) vulgo Susteren, opidum Ducatus Iuliacensis, & dice-
cessis Leodicensis: in quo est Canonicorum, itemque nobilium vir-
ginum Canonicarum collegium, à S. Willibaldo Archiepiscopo
Ultraiectino fundatum: vt in Cod. don. piarum cap. 20. docui.

In Susterensi ecclesia quiescunt S. Gregorius & S. Albricus, E-
piscopi Ultraiectini. Ibide sepulta iacet Vastradis mater eiusdem
S. Gregorij, & duæ filiæ Suendeboldi Lotharingiae Regis.

C A P V T X L I X .

*S. Engelbertus A. Coloniensis & martyr possessiones monasterij
Heinsbergen sis an. 1218. confirmat.*

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, ENGELBERTVS, Dei
gratia sanctæ Coloniensis ecclesiæ Archiepiscopus, vniuersis
Christi fidelibus in perpetuum.

T t 3

Pium

Pium attendimus, & ad præsentis vitæ decursum prosperiorem, & ad futuræ remunerationem æternam nobis maxime profuturum, quod loca sancta, monasticae religioni dicata, paterna caritate diligamus, & vbi cumque possumus promoueamus & conseruemus.

Inde est, quod vniuersitati vestræ cupimus constare, quod nos monasterium beati Gerlaci, & S. Mariæ virginis perpetuae apud Heinesberg, ob intimam deuotionem tam fratum quam sanctimonialium, quam ad cultum & seruitium Dei habent, in specialem defensionis nostræ protectionem recepimus, eisque omnia bona quæ nunc habent, vel in posterum, dante Domino, iuste poterunt adipisci, præsenti pagina confirmamus.

Specialiter tamen exprimimus prædium in *Munen*, videlicet centuriæ duodecim iugera terræ arabilis: quod prædium idem monasterium iusto emptionis titulo conquisiuit ab Hermanno de Brucge, & ipse Hermannus in præsentia nostra apud Lehegenich in ipsa ecclesiæ eidem monasterio contradidit: & frater suus Reinmarus clericus huic facto consensit, pro se & omnibus eorum cognatis vel amicis: & omni iuri, quod in prædio illo videbantur habere, uterque renuntiauit, & exfestucauit.

Ita mansum vnum in villa *Hertene*, l. x. iugera habentem, quem similiter ipsum monasterium iuste comparauit, ipsi monasterio in perpetuum confirmauit.

Ad cuius rei certam in posterum euidentiam, præsentem chartam inde conscriptam sigillo nostro fecimus communiri. Huius rei testes sunt,

Gerhardus Præpositus Carpenensis,
Godefridus Carpenensis Canonicus,
Fridericus Præpositus Monasteriensis,
comes Willelmus Iuliacensis,
Theodericus de Roslare,

Arnoldus de Gimmenich, Emundus de Brakel, & alij
1218. quam plures, tam clerici quam laici. Acta sunt hæc anno Domini millesimo ducentesimo decimo octavo.

N O T A T I O N E S.

S. ENGELBERTVS) an. 1225. pro defensione libertatis ecclesiæ & Rom. Ecclesiæ obedientia martyrium fecit, & Colonia in basilica

basilica S. Petri quiescit. Historia vita, à Cæsario monacho ord. Cisteriensis scripta, existat apud Surium.

S. GERLACVS) eremita ord. Præmonstratenfis, an. 1170. floruit, & quiescit in celebri nominis sui cœnobio, quod fundauit; estque monialium dicti ord. Præmonstratenfis in diœcesi Ruremundenf, secundo lapide à Traiecto Mose: ubi versus istos, marmoreo eius tumulo incifos, me legere memini:

Gerlacus miles quondam, post cultor eremi,
Hoc mausolæo conditur arte suo.
Contempsitque lares, aras, patriosque penates;
Matta silex, ædes concava quercus erat.
Vita lasciuos redimis Gerlace reatus,
Cedens virgineo rura paterna choro.

CARPEN) celebre municipium sexto lapide à Colonia Agrippina distat, & iure hereditario spectat hodie ad Regem Catholicum. Habet arcem militari præsidio munitam, & vetustum Canonico-rum collegium.

C A P V T L.

*Theodericus dominus Heinsbergenfis ann. 1223. copiosius dotat
Heinsbergense virginum cœnobium, à suis præde-
cessoribus fundatum.*

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. THEODERICVS, Dei gratia dominus Hensbergenfis, omnibus, tam presentibus quam futuris, ad quos huius scripti notitia peruenierit, in perpetuum.

Cum omnes, qui se heredes Dei & coheredes Christi, Christianæ professionis executione, testantur, loca promouere debeant Deo dicata; illi tamen eorum promotioni diligentius intendere tenentur & efficaciùs, pro quorum salute perpetua principalius & specialius incohata noscuntur.

Quocirca in cœnobio B. Mariæ virginis in Heinsberg, à nostris prædecessoribus, pro sua suorumque successorum salute fundato, religiosum conuentum fratrum & sororum, sub districione Præmonstratenfis ordinis, regularibus intentum disciplinis, ac quotidianis eleemosynis & hospitalitatibus, alijsque misericordia operibus

ribus opus impendentem propensiū & operam, adhuc in nostris temporibus eo defectu cognoscentes laborate temporalium, quod de proprijs redditibus aut laboribus annuam & necessariam anno næ nequeat habere sustentationem, indignum duximus sine compassionis exhibitione prætereundum.

Vnde prope Heinsberg, in quodam loco nostræ jurisdictionis palustri & nemoroſo, qui vulgo Palus dicitur, à termino circa Randerode, qui Hurst nuncupatur, per terminos parochiarum Drummenne & Heinsberg, in eodem loco, omnem decimam noualium, minorem & maiorem, quam hactenus habuimus, in honorem Dei & S. Mariæ virginis, ipsi cœnobio contulimus, vñu perpetuæ proprietatis habendam.

Vtque hæc collatio robur iustæ & perpetuæ protectionis haberet, venerabilem dominum Hyconeum Episcopum ecclesia Leodiensis adiuimus, eamdem decimationem in manus suas resignantes. Placuit tamen nobis, & per ipsum & per nos decimam quandam excipi, quæ iamdudum Canonicis Heinsbergensis castri, sub priuilegio felicis memoriæ domini Philippi Coloniensis Archiepiscopi, infra prædictum terminum est denominata.

Ceterum cum mater mea, & vxor, vñà cum filio meo, ecclesia sticam habeant in sacerdoto cœnobio sepulturam, itemque ibidem dilecta soror mea & filia, in statu religionis, mundi cordis & puræ conscientiæ vacent contemplationi; dictum factum nostræ deuotionis, in firmamentum perpetuæ stabilitatis, sigilli nostri fecimus apensione muniri. Primi verò facti nostri apud cœnobium Heinsbergense testes sunt,

Giselbertus Præpositus, Iwanus Prior,
Sibertus & Henricus sacerdotes eiusdem cœnobij,
Arnoldus miles de Gimnich,
Alardus de Hauekesdale, Albertus Pincerna,
Reinardus Schermus, Euerhardus Morsel,
Rutgerus de Berg, Gozvinus Knupsel,
Gozvinus de Holtheim, & plures alij, tam clerici quam laici.

Facti autem posterioris, domini Leodiensis Episcopi, & nostri, apud Leodium, in proximo sabbato, post Caput ierunij, testes sunt,

Sibodo

Sibodo Præpositus S. Alberti Aquensis, & Canonicus S.
Lamberti in Leodio;

Item aliis Sibodo, Decanus ecclesiæ S. Mariæ in Aquis;
Ioannes Plebanus in Linne, & Decanus Svvestrensis Capi-
tuli,

Godefridus sacerdos in Geilenkirchen.

Et milites, Watherus de Bunde,

Adam de Haren, & Gozvinus frater suus,

Alardus de Hauekesdal, Reinardus Schermus,

Rutgerus de Berge, & alij plures.

Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis millesimo ducen- 1223.
tesimo vicesimo tertio, vi. Nonas Martij, Indictione xi.

N O T A T I O .

Stirpe mascula primorum istorum dominorum Heinsbergen-
sium extincta, dominium Heinsbergense primò ad Loffensem,
post ad Iuliacensem familiam est deuolutum: ut suo à nobis ex-
plicabitur.

C A P V T L I .

*Arnoldus Vicecomes Gistellensis an. 1180. dotat Aldenburgensem
Benedictinorum Abbatiam in Flandria; probante Phi-
lippo Alsatio Flandria Comite.*

PHILIPPVS, fauente Deo, tam Flandriæ quām Viromandiæ Co-
mes, vniuersi sanctæ matris Ecclesiæ filijs in perpetuum.

Cūm omnia, quæ mundi huius diues producit fæcunditas, diu-
næ largitatis beneficio possideamus ad libitum, ea solum nobis in
posterum profutura reponimus, quæ pauperum Christi manibus in
cælestes thesauros deportanda committimus.

Vt ergo æternæ mendicitatis euadamus incommoda, aliqua ex
ijs, quæ mōdō superflunt, sunt præmittenda, quibus & interim pau-
perum Christi subleuetur inopia, & nobis in posterum præparen-
tur subsidia.

* Præsenti igitur pagina curauit insinuare tam futurorum quām
VVV præsen-

præsentium tenaci memoriz, quod ARNOLDVS Vicecomes de Gistella, cum vxore sua AGNETE, omnem decimam, quam in parochia de Erneghem, & Westkerca, & Roxem, & Bekeghem, inter Pita & Waterualla à me in feodo habebat, absoluta renuntiatio ne in manus meas resignauit: & ego eamdem decimam, pro meis & meorum reatibus diluendis, ecclesiæ S. Petri de ALDENBURG, perpetuis vñibus, legitima ac libera donatione contradidi.

Ipse verò Arnoldus, cum vxore sua Agnete, quamdam decimam, quam in confinio præfatæ decimæ ab ecclesia S. Nicolai de Ribil mund, sub annua dimidij firtonis solutione, hereditario iure possidebat, eidem S. Petri ecclesiæ, sub eodem pensionis canone, perpetuò possidendam. iuris sui loco, concessit.

Verùm ne sèpediata S. Petri ecclesia, temporum volumine, ali quod de rebus suis possit pati præjudicium, præfata in donationem scripto mandari, & sigilli nostri munimine corroborari necessarium duxi. Huic donationi interfuerunt,

Gerardus Præpositus Insulanus,

Walterus Capellanus Comitis de Winendala,

Gerardus Vicecomes de Aldenburg,

Boidin de Rauenscota,

Christianus de Gistella,

Theodericus Damhoudera,

Weitin de Iabbeca, & fratres eius,

Henricus de Paskendala,

Henricus de Schiruelda,

Daniel de Torholt,

Haket de Rideruoorda.

1180. Datum Furnis anno Dominicæ incarnationis millesimo centesimo octogesimo, Indictione tertia, Epacta decima septima.

N O T A T I O.

ERNEGHEM, Westkerka) vici circa Gistellam & Alden burgum. Monasterium Aldenburgense, Benedictinorum, fundauit S. Arnulphus Episcopus Sucssonensis.

CAPVT

C A P V T L I I .

Hugo primus Abbas monasterij S. Andree, prope Brugas siti, Godecalco Abbatii Afflegemensi dat LVII. mensuras terrae:
& dictum monasterium Andreanum ex Prioratu fit
Abbatia libera, an. 1187. per Guilielmum
A. Remensem.

WILLELMVS Dei gratia Remorum Archiepiscopus, S. R. E.
viroli S. Sabinae Cardinalis, universis sanctae matris Ecclesiarum
filius in perpetuum.

Nouerint tam praesentes quam futuri, quod dilectus noster Hugo Abbas S. Andree iuxta Brugas, & fratres sui, Prior & monachi eiusdem loci, terram quam habebant in pago Oostburch, circiter quinquaginta & septem mensuras, reddentem singulis annis decem marcas, Godecalco Abbatii de Affleghem & conuentui voverunt, & eam ipsis sine omni calunnia in perpetuo possidentem conceperunt.

Abbas vero predictus & conuentus de Affleghem, attentes quod iam dicta ecclesia B. Andree, quae Prioratus illorum esse solebat, ad tanti profectus, tam in spiritualibus quam in temporalibus, venisset incrementum, quod ordinis religione exigente, & suppetente copia facultatum, Abbas ibidem non immerito creari posset & deberet, locum ab omni dominio suo, subiectione & exactione liberum & emancipatum dimiserunt, & Deo & S. Andree dederunt.

Et de eorum assensu, & pari conuenientia omnium, nouum ibidem Abbatem, qui eis in nullo obnoxius in posterum tenebitur, institui permiserunt, & predictum Prioratum monasterium perpetuum permanere decreuerunt.

Approbantes itaque, quod ab utraque tam solemniter quam laudabiliter parte factum est, ratum deinceps & firmum permanere decernimus, & presentis scripti patrocinio & sigilli nostri auctoritate confirmamus.

Statuentes, & sub intermissione anathematis inhibentes, ne quis hanc nostrae confirmationis paginam audeat infringere, vel ei in aliquo contraire, salua in omnibus Apostolicæ Sedis auctoritate.

V V 2

Actum

1187. Actum ann. Dominicæ incarnationis millesimo centesimo octo-
gesimo septimo. Datum per manum Lambini Cancellarij nostri.

*Euerardus Tornacensis Episcopus eiusdem monasterij Andreani
exemptionem, & Hugonis primi Abbatis consecrationem,
ab Episcopo Morinensi factam, approbat.*

EVERARDVS, Dei gratia, Tornacensis Episcopus, vniuersis Christi fidelibus tam futuris quam praesentibus in perpetuum suscepit cura regiminis ad hoc nos prouocat & inducit, ut secundum Deum religiosorum virorum honestati, commodis, & profectibus & libertatibus ecclesiarum, quae in nostra sunt diecesi constitutæ, quantum in nobis fuerit, propensiùs intendamus.

Huius itaque considerationis vestigia prosequentes, vniuersitatim fidelium praesenti priuilegio fieri volumus manifestum, quod cum Godescalcus Abbas & Capitulum Affligemense, auctoritate domini Remensis, in eius praesentia, locum ecclesie S. Andreæ iuxta Brugas, quæ eorum Prioratus esse solebat, fratribus ibidem Deo seruientibus liberum & emancipatum dedissent, & ab iure & dominio, quod prius ibi habuerant, liberum dimisissent, ut ad augmentum seruitij Dei locus ille in monasterium consurgeret, & perpetuò permaneret:

Nos, de assensu Capituli nostri, libertatem eiusdem ecclesie & emancipationem, in praesentia domini Remensis factam, sicut in eius autentico scripto continetur, necnon ordinationem & benedictionem venerabilis viri HUGONIS, Abbatis eiusdem ecclesie, per dominum Morinensem celebratam, ratam habuimus, & habemus, & praesentis scripti patrocinio confirmamus.

Statuentes, & sub anathematis interminatione, salua tamen Patrum reverentia, firmiter inhibentes, ne aliquis in posterum prefatos fratres monasterij S. Andreæ, super libertate & emancipatione memorata, audeat indebet molestatæ, vel contra iuris ordinem temere perturbare. Nomina autem testium qui huic approbationi interfuerunt fecimus inferius annotari.....

Vt autem saepe dicta libertas maioris obtineat roboris firmitatem, ego

Arnulphus Decanus,

Gosuinus

Gosuinus & Thiedo Archidiaconi,
totumque Capitulum Tornacensis ecclesiae, sigillo nostro ap-
penso perhibemus testimonium veritati. Datum Tornaci II. Idus
Februarij, anno Domini millesimo centesimo octogesimo nono. 1189.

C A P V T L III.

*Henricus I. Lotharingia inferioris & Brabantie Dux, an. 1184.
auget dotem Abbatiae Villariensis, ord. Cisterciensis, &
- possessiones omnes confirmat.*

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego HENRICVS Dux Lotharingiae præsentibus & futuris notum facio, quod possesiones VILLARIENSES, & quæcumque bona eadem ecclesia sub potestate mea vel in præsenti possidet, vel postmodum, præstante Domino, poterit adipisci, sub mea protectione suscipio, seruata ordinis, quem fratres eiusdem loci professi sunt, libertate.

Præsenti itaque priuilegio statuo, vt in tota terra mea memorati fratres, & eorum animalia, seu quælibet ad usum eorum pertinencia, nullam in pascuis aut vijs ceterisque eiusmodi beneficijs patientur molestiam, nullo grauentur iugo seruitutis, nulla sacerdotali exactione perturbentur, sed in ea libertate, quam Claræ vallenfis ordo habere dignoscitur, quæcumque illis diuino beneficio collata sunt, sibi suisque successoribus illibata permaneant; in quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis:

Alodium de Villari, sicut illud possident sacerditi fratres, ususaria in filiis & pascuis Baijsensis alodij, seu quidquid ex dono Niuellensis ecclesiae . . . grangias de Gemiontrau, & Bernisart, & Boneria, cum omnibus pertinentijs illarum, vel quidquid habent in Cheffart, quod ad me vel homines meos iure aliquo spectare dignoscitur,

Grangiam de Stoysy, cum omnibus pertinentijs suis, quæ de manu mea descendere, & à pristinis exactionibus noscitur esse liberima, grangias de Emelemon, & de Lompret, cum pertinentijs eorum, grangiam de Scotus, & quidquid in ipso possident alodio;

Alodium de Thorembaw, quod Sigerus & Godefridus fratres, &

V V 3 corum

corum soror Ermetrudis, sine villa diminutione eiusdem alodij, in eleemosynam contulerunt;

Alodium quod habent in Rehorsart & in Ramelies, & in Hardorp, alodium de Opperbaas, sicut illuc possident liberrime, ex multorum donatione & mea pariter affirmatione.

1184. Actum GELDONIAE, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octogesimo quarto, decimo octavo Kalendas Maij, Indictione secunda, sub testibus quorum subscripta sunt nomina.

De clericis.

ALBERTVS frater meus.

Richo de Tenis.

Arnolphus Notarius Ducis.

Gerardus de Neihen, & Magister Daniel.

De nobilibus.

Ægidius de Duras, & Petrus frater eius.

Willemus de Birbaas.

Godefridus & Walterus frater eius, & Renerus Russel-
bosch.

De familia.

Arnulphus de Bigardis.

Arnulphus de Walehem,

Alardus Rox, Consiliarij Ducis, & alijs complures.

N O T A T I O N E S.

HENRICVS I.) Brabantiae Dux an. 1235. obiit, Louanij ad S. Peterum in medio choro conditus.

VILLARE seu Villarium, Abbatia ord. Cistertiensis, seu Claræ-vallensis (vt in isto diplomate nuncupatur) in Gallo-Brabantia & diœcesi Namurcensi, ad Thiliam seu Diliam fluvium, qui Louanium perluit. Villario vicinus est vicus Tilly, cum arce insigni; cuius loci Comitem primum Ferdinandus II. Cæsar Ioannem Serclasiū, belliducem fortissimum, creauit.

De SCOTIS.) Designatur vicus Schooten, prope Antuerpiam.

GELDONIA) Flandris Geldenaken, Gallis Iudoigne, Gallo-Brabantiae opidum.

ALBERTVS frater meus.) Designatur S. Albertus Card. & Episcopus Leodiensis, de quo supra hoc libro cap. 48. egimus.

CAPVT

C A P V T L I V .

*Philipus Alsatius, Flandriæ Comes, & Adiutorius monasterij S.
Andreae prope Brugas siti, an. 1188. tabulis publicis testa-
tur, dictum monasterium à Godescalco Abbe
Affligemensi libertate donatum &
emancipatum fuisse.*

IN nomine Patris & filij & Spiritus sancti. Ego PHILIPPVS,
Flandrensum & Viromanduorum Comes, notum fieri in per-
petuum volo, quod vir venerabilis Godescalcus Abbas Afflige-
mensis, laudante & assensu præbente Capitulo ipsius, ecclesiam
S. Andreæ, iuxta Brugas sitam, omnino emancipauit, & quidquid
in ea iuris habebat vel habere videbatur, omnino resignauit, re-
cognoscens quod eidem ecclesia licebit in perpetuum sibi Abba-
tem eligere ex quacumque ecclesia, & electionis semper libertate
gaudere.

Sciendum etiam, quod eiusdem ecclesiæ Aduocatus & dominus
ego sum, & rerum iplius, & fratribus ibidem Deo seruientium de-
fensor perpetuus atque protector: ita ut nulli personæ laicæ liceat
vñquam in supra dicta ecclesia dominationis quidpiam reclama-
re, præterquam mihi heredibusque meis.

Hoc igitur ut ratum semper inconuulsumque permaneat, tam
præsentis scripto paginae, quam mei impressione sigilli, imò sub-
scriptarum testimonio personarum muniri decreui.

Signum Gerardi, Brugensis & S. Audomari Præpositi, & Flan-
driæ Cancellarij.

- S. Gerardi Præpositi Insulani.
- S. Willelmi de Tenremunde.
- S. Ioannis Castellani Brugensis.
- S. Euflathij Camerarij.
- S. Gerardi de Gremberghe.
- S. Walteri de Niuenella.
- S. Theoderici Castellani de Dickxmude.
- S. Gerardi de Aldenberch.
- S. Arnulphi de Ghistella.

S. Sigeri

S. Sigeri de Borenhem.

S. Lamberti de Domo.

Actum in domo mea MALEN, anno Dominicæ incarnationis
1188. millefimo centesimo octogesimo octauo.

N O T A T I O.

NIVENELLA) hodie Neuele; Borenhem, seu potius Bornehem,
celebres Baroniae in Flandria.

C A P V T L V.

Manumissionis formula apud Flandros ann. 1193. usitata.

Ego R. de WAVERIN, Dominus Lilerij & Senescallus Flandriae,
omnibus tam posteris quam presentibus notum fieri in perpetuum
volo, quod Julianam de Frigido manso, & Alburgim de Ma-
resco, & earum progenies, quae mihi & successoribus meis iugo
seruitutis obligabantur, diuini amoris intuitu, & pro anima mea &
carissimae vxoris meae SIBYLLÆ, & antecessorum & successorum
meorum salute, liberè manumisi, & eas omnino liberas feci, eis-
que tanquam liberis abeundi quocumque voluerint, & seque qui-
buscumque voluerint ecclesijs committandi potestatem liberam
concessi; laudante pariter & concedente dilectissima uxore mea
SIBYLLA, concedentibus etiam carissimo fratre meo HELLINO, &
HILDRADE, & MARIA & ADA sororibus meis; & R. de Senghin
& Gosvino patruis meis; & A. de Meallens, & I. de Spineto, amicis
meis carissimis.

Ne autem predictas Julianam & Alburgim, vel earum poste-
ritatem aliquis, sub nomine seruitutis, alia supprimere presum-
pferit exactione, ego & vxor mea, & omnes prescripti successores
mei, eas vel earum progenies, a quibuscumque Ecclesiasticis per-
sonis manumittendas & sustinendas esse in sua libertate concessi-
mus; rogantes, ut si quis eam infringere vel in aliquo minuere at-
tentauerit, Ecclesiastica ad satisfactionem compellatur districione.

Quod ut ratum & immutabile in perpetuum permaneat, pre-
sentem tabulam tam sigilli mei appensione, quam testium annota-
tione communui.

S. P.

S. P. de Maisnilio.
 S. Russelli de Bosco.
 S. Hellini de Fornes.
 S. R. de Legra, & B. fratris mei.
 S. Nicolai Riffard.

Actum apud Fornes anno Domini CIC. C. XCIII.

1193.

N O T A T I O N E S .

Mancipia, seruos & libertos posterioribus etiam seculis apud Belgas, vt olim apud Romanos exstisset, ex varijs Ecclesiarum nostrorum monumentis constat. Horum nonnulla amicus noster Ferreolus Locrius in suo Chronico Belgico ad an. 868. recitat. Vide & infra ad an. 1243.

Dirum seruitutis iugum, Christiana libertate ac caritate indignum, Margarita Constantinopolitana, Flandriæ Comitissa, sustulit, & in Flandriam reuehi seuerè prohibuit, litteris editis, quas Insulis in archivis Canonicorum S. Petri adseruari, Molanus lib. de Canonicis commemorat.

L I L E R I V M) opidum Artesiæ, *Lilers*, in quo est celebre Canonicorum collegium; de quo supra lib. 1. cap. 30, egimus.

F O R N E S) Furnæ, opidum Flandriæ; in quo celebris visitur Canonicorum ord. Præmonstratensis Abbatia, S. Augustino sacra, qui iuuentutem docent, exemplo Patrum Soc. Iesu, Augustinianorum & Dominicanorum in Belgio.

C A P V T L V I .

*Ecclesia de Rijcke-vorsel & Malle à Ioanne Cameracensi Episcopo
dantur Canonicis Ansuerpiensibus an. 1194.*

I N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, amen. IOANNES, Dei gratia Cameracensis Episcopus, omnibus ad quos præsentes litteræ peruererint in perpetuum.

De necessitate suscepitæ administrationis astringimur, ecclesiasticarum personarum ita commodis prouidere, vt ipsis possessiones, pia fidelium deuotione collatas, & in posterum conseruemus, & etiam augmentemus seruatas,

X X

Ea-

Eapropter dilectis filijs nostris Antuerpiensis ecclesie Canonis, ad usus ipsorum, ob remedium animæ nostræ, altaria de FORSELA & de MALLE liberè & absolute contulimus; donationem nostram præsentis paginæ patrocinio, & nostri sigilli auctoritate, in posterum confirmantes; & ne quis amplius hoc infringere præsumperit, sub periculo excommunicationis inhibentes.

1194. Datum Cameraci, per manum magistri Roberti, anno verbi incarnationis M. C. XC. quarto, XIIII. Kalendas Martij.

N O T A T I O.

VORSEL, hodie *Rijcke-vorsel*, vicus Campanie Brabantina, haut procul ab Hochstrato, ad Comitem Hochstratanum, ex gente Lalaina, pertinet.

C A P V T L V I I .

Henricus VI. Imp. an. 1196. Comitatum Velue Balduino Ultraiectensi Episcopo confirmat, Balduinus autem Henrico Loth. Brabantiaq[ue] Duci concedit.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. HENRICVS VI. diuina fauente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, & Rex Siciliæ.

Imperatoriaæ maiestatis nostræ debitum postulat & requirit officium, vt ea quæ inter fideles & Principes Imperij, causam & fo- mitem dant discordiæ, lima correctionis & diligentiae eneruant, ad firmam pacis concordiam vigilanti studio ipsos satagamus re- ducere.

Quapropter notum facimus vniuersis Imperij nostri fidelibus, præsentibus & futuris, quod nos quæstionem illam, quæ iam diu ver- tebatur inter dilectos consanguineos nostros BALDVINVM Traiectensem Episcopum, & HENRICVM Ducem Lotharingiæ, super Comitatu VELVÆ (in eo videlicet, quod ipse Episcopus Comita- tum illum de concessione Imperatoris sibi & ecclesiæ Traiectensi asserebat pertinere, & è contrario Dux Lotharingiæ dicebat, quod ipsum Comitatum de manu nostra teneret in fide & feudo) ad hunc

hunc finem deduximus, quod ipse Dux iniuriam suam recognoscens, omne ius quod in Comitatu illo videbatur habere, in manus nostras liberè resignauit.

Nos itaque prædictum Comitatum cum omnibus suis pertinentijs, Imperiali clementia, prædictæ ecclesiæ Traiectensi, & dilecto consanguineo nostro BALDVINO in perpetuum confirmamus. Ipse verò Episcopus eumdem Comitatum, cum omnibus pertinentijs suis, & omni iure, prædicto consanguineo nostro HENRICO Duci Lotharingiæ in præsentia nostra benignè concessit, sub eo tenore, ut idem Comitatus ad eius heredem filium suum vel filiam libertate transeat & integrè.

Statuimus igitur & Imperiali edito sancimus, ut nulla omnino persona in posterum hanc nostram ordinationem & confirmationem aliquatenus infringere audeat vel turbare. Quod si quis attenterit, centum libras auri propœna compenset, dimidium Cameræ nostræ, reliquum passis iniuriam. Ad cuius rei certam in perpetuum evidentiam, præsentem paginam inde conscribi iussimus, & Maiestatis nostræ sigillo aureo communiri. Huius rei testes sunt,

Ludolphus Magdeburgensis Archiepiscopus,

Hartvicus Bremensis Archiepiscopus,

Hartmannus Langravius Thuringiæ,

Otho Comes de Bentheim,

Comes Lambertus de Erfordia,

Wenardus Burggravius de Magdenburg,

Comes Albertus de Wingerode,

Robertus Ducoude.

Anno de Mintenberg,

Marcardus Dapifer,

Deshardus de Distemberg,

Henricus Camerarius de Gron,

Henricus Pincerna de Lutra,

Gerardus de Grimberg,

Arnoldus de Weemale, & alij plures.

Signum domini Henrici VI. Romanorum Imperatoris & Regis Siciliæ. Ego CONRADVS Hildensemensis electus, Imperialis aulæ Cancellarius, recognoui.

Acta sunt hæc anno Dominicae incarnationis M. C. XCVI. Indictione XIII. regnante domino Henrico VI. Romanorum Imperatore,

ratore, anno regni eius XXV. Imperij vero V. & regni Sicilie II.
Datum apud Gulenhusen, pridie Nonas Martij.

N O T A T I O.

V A L V A) hodie non Brabantia, sed Gelria accensetur.

C A P V T L V I I I .

*Albertus dominus de Dintere, vir nobilis, dat Bernensi monasteriis
predium Berneheze in Campania Brabantia, an. 1196.*

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego ALBERTVS de Dintere tradidi me ipsum ecclesiæ S. Mariæ in Berna, & quidquid habere vñsus sum in vicinia curiæ, quæ vocatur Berneheze, & vñiueras possessiones agrorum meorum, & dimidieratem paludis quæ vocatur Loesbruc, cum libera potestate communis vñsus in aquis, & pascuis, & siluis, in Hesevvich.

Et quia hæc à domino HENRICO de Kuc feodaliter tenebam, ipse autem à Duce Louaniensi, & transferre in alienam potestatem per me ipsum legitimè non poteram, allodium meum, in medelæ loco, memorati feodi domino Henrico confirmavi.

Quod in vñsum Ducis suscipiens, proprietatem eius Duci legaliter assignauit, in die S. Seruatij, apud villam, quæ vocatur Orschot.

Dux vero ius suæ proprietatis, quod in meo feodo apud Berneheze habebat, ecclesiæ Bernensi condonauit, & Zalam eius, in eodem loco & die, dominus Henricus de manu Ducis, ad vñsum ecclesiæ, suscepit, in præsentia honorabilium virorum istorum,

Domini Alberti, filij domini Henrici,

Theoderici de Herlar, Huberti de Hesevvich,

Wilbelmi Comitis de Megem, Anselmi de Welde,

Walteri Bac, Henrici Schulteti.

Vbi autem prædicta bona in Berneheze dominus Henricus & filius suus, ad vñsum ecclesiæ, vñà cum manu Abbatis Euerardi, apud castrum Herpen susceperunt, hi sunt testes, qui præsentes fuerunt:

Henricus de Batenburch, consobrinus domini Henrici,
Walterus Alf, Marsilius de Loen.

Wilhel.

Wilhelmus Appelgrau,
Egeno de Har, & filius suus Robertus.
Henricus Spiegel. Helias.

Gesta sunt autem hæc anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo nonagesimo sexto, Imperatore Henrico, Episcopo Leodiensi Alberto, Traiectensi autem Balduino, Duce Brabantiae Henrico. 1196.

C A P V T L I X .

*Albertus dominus Cudicensis donationes ab Alberto Dinteræ, &
Almerico Heseuici dominis factas, in usum monasterij
Bernensis, confirmat.*

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, amen. Ego ALBERTVS de Kuc omnibus Christi fidelibus tam posteris quam praesentibus in perpetuum.

Cum facta patrum præcedentium non semper tangant memoriam posteriorum, necessarium duximus ea diligentioris stili officio describi, quæ sanctæ devotionis intuitu consummata vigili memoria perpetuè expedit commendari.

Hinc est, quod ea quæ deuoto incohata principio dignoscimus, idoneo fine terminare satagimus: scilicet quod quidam liberæ conditionis miles Albertus de Dinteræ quandam curiam in suo allodio apud Berneheze possedit, in cuius possessionem iure hereditario successit.

Dicta autem curia hoc juris in silua Dinteræ huc usque & nunc obtinet & obtinuit, quod eius incolæ & ligna ardenda, & ligna ædificijs in eodem allodio construendis apta, pro suo placito, ad plenum liberè possunt educere.

Porcos itaque domesticos in prælibata silua possunt sine decima nutritre, communibus pascuis pratorum & riuorum, cum suis coheredibus, participare; nec super his Domini de Kuc vel alicuius sui coheredis prohibitionem vel grauamen formidare.

Alter itaque eiusdem conditionis miles Almericus de Hesvvc, apud Berneheze, curiam aliam, in suo allodio, eodem iure, quo & prædictus miles possedit; quæ curia prænominata euriæ ius in omnibus

nibus & per omnia à primo fundamento hactenus quietè obtinuit;

Horum militum vterque utramque curiam conuentui B. virginis Mariæ in Berna integrè & irreuocabiliter, patris mei Henrici consensu annuente, contulit. Conuentui quoque prædicto de bonis de Ambershoye collata est dimidia potestas, qua quælibet curia pollet.

Contulit etiam dicto monasterio nominatus Albertus de Dintere medietatem de Losebruc, tam in arboribus quam in plantis.

Nos autem dictis eleemosynarum largitionibus nunc, nostri scripti & sigilli munimento, fidele testimonium adhibentes, ea que prælibauimus, rata & inconuulsa volumus permanere.

Qui autem sacrilego ausu hæc turbare vel violare attentauerit, diuinæ sententia & nostræ animaduersioni, usque ad condignam & plenariam satisfactionem, subiacebit.

N O T A T I O N E S.

DINTERE) vicus Brabantiae, secundo lapide à Silua Ducis si-
tus, patria, nisi fallor, aut dominium Emundi Dinteri, quattuor Du-
cum nostrorum Secretarij, qui scripsit Historiam Brabantiae ms.
apud me, & obiit an. 1448. Bruxellis conditus ad S. Iacobum in
monte Palatino, quem vulgo Frigidum nuncupant.

Vicorum de Dintere & de Heeswyck dominus est N. Sercla-
sins, Comes de Tilly, cuius patruus Ioannes felicissimè nunc præst
copijs Catholici fœderis.

HNRICVS) dominus de Kuc, alias Cuyck: quod amplum est
territorium, & antiqua Baronia Brabantiae, ad Principem Arausio-
nensem pertinens. Cukensi seu Cudicensi ditioni hodie accensetur
Grauia, opidum munitum ad Mosam: de quo vide supra lib. I. cap.
90. & seq.

MGHEM) est hodieque Comitatus & feudum Brabantiae, olim
gentis Brimeuæ, nunc Croyæ.

BERNA porro, olim Hollandiae, nunc Brabantiae est Abbatia,
ord. Præmonstraten sis, an. 1134. à Folcodo eius loci domino fun-
data: ut supra lib. I. cap. 52. docui. Folcoldus assumpta ueste regulari
Bernæ annis XV. vixit, & die 12. Aprilis an. 1149. decepsit. Bernen-
ses Canonici hodie incolunt domum Fratrum vitæ communis,

in

in vrbe Siluiducensi, quam sibi pretio compararunt.

BERNEHESE) nunc Bernheste est tractus terrarum, partim sub iurisdictione vici Hesevicensis, partim Dinterensis, secundo la- pide à Busco-Ducis: ex quibus potissimum prædijs Bernenses ho- die aluntur.

C A P V T L X .

Balduinus Flandriæ & Hannoniæ Comes, post Imp. Constantino- politanus, Gerardimontensis opidi leges & priuilegia à prædecessoribus suis concessa, firmat ac stabilit.

Ego BALDWINVS, Flandriæ & Hannoniæ Comes, vniuersis no- tum fieri volo, quod prædecessor noster Balduinus, tam Flan- driæ quām Hannoniæ Comes, allodium quoddam in parochia de Hunighem, à quodam GERALDO, magnæ auctoritatis viro em- ptum, sibi vendicauit, in quo opidum construendum elegit, quod à Geraldō GERALDIMONIS nominari placuit.

Viso autem, quod prædictum allodium, pro paruitate & breuita- te sua minimè sufficeret ad ea, quæ opido construendo forent ne- cessaria, de parte prædicti allodiū dominū de Boulaer feodauit, vt quæ ad usus Geraldimontensium essent necessaria, prouideret.

Dedit igitur dominus de Boulaer, in recompensationem feudi prænominati, Balduino Comiti, ad usus Geraldimontensem Bus- smont, sicut ipse possedit, & Cortflade, & pasturam à ponte supe- rioris Boulaer usque Hunighem, à Tenera usque ad terram arabi- lem. & ab Hersebecke, sicut Dutchem prætersunt usque Teneram.

Dedit etiam omnem pasturam à Boulaer castello, usque Grime- ghem: addidit insuper, quod quibuscumque aquis vel pascuis ho- mines sui uterentur, liceret Geraldimontensibus uti communiter.

Præterea prædictus Comes Raspaliam acquinavit Geraldimon- tensibus, qui postea communi consilio & assensu totius villæ domi- no & patre meo Balduino, Comiti Flandriæ & Hannoniæ & Mar- chioni Namucensi libere contulerunt, in cuius restitutionem præ- dictus Comes dedit Geraldimontensibus mediataem Hallæ, in omni iure suo, perpetuè possidendam.

His ita ordinatis Balduinus Comes considerans, quod prædictum opidum,

opidum, quod situm erat in marchis Flandriæ, Hannoniæ & Brabantia, ad inhabitationem sui minimè quemquam inuitaret, nisi maximæ libertatis ope tutaretur, conuocatis Flandriæ, Hannoniæ, Brabantia Baronibus, assensu quorum & consilio omnia præordinauit, in opido Gerardimontensi hæc libertatis iura constituit, quæ cum eo Barones prædicti, præstita cautione iuramenti, in perpetuum seruanda compromiserunt. Sunt autem sequentia.

Ex quo aliquis in opido Gerardimontensi hereditatem acquisierit, si opidi instituta secundum iudicium Scabinorum tenuerit, liber erit, cuiusque conditionis fuerit. Idem, si voluerit, habet libertatem dimittendi opidum, si de pacto vel debito ibidem satisfecerit.

Item nemo cogatur inire duellum, vel subire iudicium ignis & aquæ....

Item si quis fuerit absque herede, libertatem habet erogandi sua, & hereditatem suam, tam ecclesijs quam pauperibus in elemosynam.

Item nato puer ex coniunctis legitimè, si intra liminaria dominus tantum auditus statim obierit, moriente patre vel matre, viuenti hereditas & pecunia adiudicatur. Et notandum quod hereditas in elemosynam data post annum transactum, debet ad Scabinatum reuerti.

Item si filij vel filiæ hereditatem vel pecuniam à parentibus acceperint, altero parentum mortuo, si partiri voluerint, quod prius acceperint in commune referatur.

Item si burgensis allodium alicuius in opido coram francis hominibus & Scabinis inuadiauerit, vadimonium suum ibidem, iudicio Scabinorum, obtinebit.

Item si quis burgensi debitum suum soluere noluerit, quod Scabinis notum fuerit, auxilio Comitis & potestate compellatur ei satisfacere.

Item si Scabini de aliquo iudicio dubitauerint, inquisitionem suam à Scabinis Gandenibus accipient. Scabini autem eamdem legem & eadem iudicia, quæ huc usque tenuerunt, deinceps teneant.

Præterea si quis aliquem occiderit, vel membris truncauerit, caput pro capite, membrum pro membro, nisi se defendendo hoc fecerit.

Item

Item si quis alium vel verberauerit, vel pulsauerit, vel ad terram prostrauerit, vel capillauerit, sexaginta solidos soluet Comiti, & si feria secunda hoc contigerit, sex libras.

Item si quis aliquem Scabinorum vel Villicum, in seruitio Comitis existentem, conuictatus fuerit, sexaginta solidos soluet, & si feria secunda hoc contigerit, sex libras.

Hec itaque libertatis iura à predecessoribus nostris cum maxima dilcretione instituta, & à PHILIPPO illustri Comite Flandriæ & Viromandiæ confirmata, ut rata & inconuulsa in perpetuum permaneant Geraldimontensibus, præsentem contuli paginam, sigilli mei auctoritate, & testium annotatione roboratam.

N O T A T I O N E S .

PRÆDECESSOR noster Balduinus.) Fuit is, nisi fallor, Balduinus Montanus, Flandriæ & Hannoniæ Comes, qui circa an. 1068. aut 1081. Geraldimontem in opidi formam redegit, legibus firmavit & priuilegijs dotauit: quæ postea Philippus Alsatiæ & Balduinus Constantinopolitanus confirmarunt.

HVNIGHEM) templum antiquum, intra muros opidi Gerardi-montensis: penes quod an. 1624. cœnobium virginum Benedic-tinarum reformatarum ædificari cœptum est.

G R A L D V S) seu Gerardus, vir nobilis, opidi Gerardi-monten-sis in Flandria Imperiali conditor, à toparcha Boulariensi occisus fuisse traditur, in agro vicino, vbi hodieque crux lapidea visitur.

B O V L A B R) Baronia & arx, haut procul ab opido Gerardi-mon-tensi sita.

B V S I M O N T) collis, opido Gerardi-montensi vicinus, cum ericeto.

T E N E R A) fluuijs opidum Gerardi-montense intersecat, & in Scaldim deuoluitur Teneramondæ.

D V T S C H E M) riuis in Teneram influens.

R A S P A L I A) silua possidetur nunc ab Abbatte S. Adriani, & Abbatissa Belli-prati.

P A T R I M E O Balduino. Fuit is Balduinus Magnanimus, Hanno-niæ Comes.

A G A N D E N S I B V S accipient. Lex ista abrogata est.

X y

C A P V T

CAPVT LXI.

Iotha, matrona diues, præbendam fundat in ecclesia B. Mariae Antuerpiensis, ann. 1201.

ROBERTVS B. MARIAE ANTVERPIENSIS PRÆPOSITUS, & EIUSDEM LOCI CAPITULUM, OMNIBUS PRÆSENTEM PAGINAM INSPECTURIS SATUREM IN DOMINO.

PRÆSENTIUM ATTESTATIONE VNIUERSITATI VESTRE NOTUM FIERI VOLVIMUS, QUOD QUÆDAM MATRONA, IOTH A NOMINE, SPIRITU PIETATIS DUCTA, PRO ANIMA SUA & GOSVVINI MARITI SUI, & PRÆDECESSORUM SUORUM, REDITUS DECEM MARCARUM IN ECCLESIA NOSTRA ANTWERPIENSI, ADVISUM VNIUS PRÆBENDÆ, INSTITUIT: ITA QUOD IN EA STATIM ELIGERETUR CANONICUS, QUI IN FRATREM RECEPTUS, NOBISCUM EQUA FRUCTUM GAUDERET POSSESSIONE; REDITUS VERO PRÆDICTI IN USUM CEDERENT COMMUNITATIS.

AD QUAM PRÆBENDAM NOS, DIUINÆ PIETATIS INTUITU, & HONESTATIS PERSONÆ RESPECTU, IOANNEM ACOLYTUM IN FRATREM & CANONICUM ELEGIMUS, & IPSI CONCESSIMUS PLENAM PARTICIPATIONEM BONORUM SPIRITALIUM & TEMPORALIUM; STALLUM IN CHORO, VOCEM IN CAPITULO, CUM CETERIS SOLENNITATIBUS, EIDEM ASSIGNANTES: NON OBSTANTE IN POSTERUM CUIUSCUMQUE CALUMNIA SEU CONTRADICTIONE; NON OBSTANTE ETIAM QUOCUMQUE DAMNO SEU INCOMMODO EMERGENTE DE BONIS, QUAZ À PRÆDICTA COLLATA SUNT MATRONA.

QUOD UT DEBITAM OBTINEAT FIRMITATEM, PRÆSENTEM FECIMUS CONSCRIBI PAGINAM, SIGILLI NOSTRI CHARACTERE ROBORATAM. ACTUM ANNO
1201. VERBI INCARNATI MILLESIMO DUCENTESIMO PRIMO.

Ioannes Cameracensis Episcopus præbendam, à Iotha matrona institutam, an. 1203. confirmat.

IN NOMINE SANCTÆ & INDIVIDUÆ TRINITATIS. EGO IOANNES, DEI GRATIA CAMERACENSIS EPISCOPUS, OMNIBUS TAM MODERNIS QUAM POSTERIS, IN PERPETUUM.

PRÆSENTIUM ATTESTATIONE TAM MODERNIS QUAM POSTERIS NOTUM FIERI VOLVIMUS, QUOD QUÆDAM MATRONA, IOTH A NOMINE, SPIRITU PIETATIS DUCTA, PRO ANIMA SUA & GOSVVINI MARITI SUI, & PRÆDECESSORUM

rum suorum, reditus decem marcarum in ecclesia Antuerpiensi ad vnum viius praebenda, instituit: ita quod in ea statim eligeretur Canonicus, qui in fratrem receptorum, cum Canonicis suis æqua frumentum gauderet possessione; reditus vero predicti in vnum cederent communis. Ad quam praebendam Praepositus & Capitulum Antuerpiense, communivoce, Ioannem acolytum canonice in fratrem & Canonicum elegerunt.

Quam institutionem, & canonicam eiusdem praebenda collationem habentes presentium auctoritate confirmatam, tam ipsam quam alias ecclesiarum praebendas sub nostra protectione suscipimus; sub anathematis interminatione districtus inhibentes, ne aliquis de cetero huic nostræ confirmationi se opponat, aut presumat de predictis, seu quibuscumque alijs ecclesiarum iustis possessionibus, quas ad presentes possident, vel in futurum poterunt adipisci, dictæ ecclesiarum Canonicos molestare.

Quod ut debitam obtineat firmitatem, presentem fecimus conscribi paginam, sigilli nostri charactere roboratam. Actum anno 1203.
Verbi incarnati millesimo ducentesimo tertio.

C A P V T L X I I .

*Robertii Praepositi & Capituli Antuerpiensis tabula de decimis &
predijs in Milleghem, emptis per Iotham matronam.*

IN nomine sanctæ Trinitatis, ego ROBERTVS, ecclesia B. Mariæ in Antuerpia Praepositus, & quod mecum est Capitulum, notum facimus vniuersis, presentem paginam inspecturis,

Quod quædam matrona, IOTHAM nomine, spiritu pietatis ducta, ad comparandos reditus decem marcarum, se ecclesia nostræ obligauit, & filium suum Ioannem, Concanonicum nostrum, huius rei fideiussorem interposuit, sub tali quidem forma, ut in ea nouus institueretur Canonicus, ibidem in perpetuum ministraturus.

Postmodum vero, cum duos manipulos decimæ de MILLEGHEM, & quædam alia bona in eadem villa, consilio domini DUCIS, & nostro comparasset, & eorumdem bonorum inuestituram de manu domini DUCIS ecclesia recepisset, ut ipsam à premissa obligatione, & filium à fideiussoria cautione absolucremus, postulauit.

Y y 2

Nos

Nos verò iusta petitioni ipsius debitum præbentes assensum, bona præmissa, cum omni commodo vel incommodo, quod in posterum posset prouenire, in communitatem nostram recepimus; ipsamque & filium in præmissis obligationibus de tanta parte reddituum, quantam de præmissis bonis annuatim prouenire contigerit, omnimodis absoluimus. Et tali quidem facta estimatione, ut tria sistaria sifuginis pro marca, & quatuor sistaria hordei similiter pro marca computentur.

Vt autem hæc rata & inconulsa in perpetuum permaneant, præsenti pagina rei gestæ seriem impressimus, & sigillorum nostrorum appositione communiuimus. Datum anno incarnationis Domini millesimo ducentesimo sexto.

1206.

N O T A T I O N E S.

Vt IOTH A matrona Antuerpiæ, sic Godefridus Villicus seu Protor Louaniensis an. 1188. & alij non pauci homines priuati, varias præbendas Louanij in ecclesia S. Petri instituerunt ac dotarunt.

MILLENGHEM) hodie Millegem, vicus Antuerpiæ vicinus.
DVCIS) Brabantia, Henrici eo nomine primi.
SISTARIA) Brabantis Sisteren, genus mensuræ granorum.

C A P V T L X I I I .

Baldinus cognomento Magnanimus, Flandria & Hannonia Comes, ab Henrico VI. Imp. primus Namurci Marchio creatus, dotat an. 1192. Namurensem S. Albani ecclesiam, nunc cathedralem.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. BALDWINVS Comes Flandriæ & Hannoniæ, & Marchio Namuci primus, vniuersis Christi fidelibus, tam præsentibus quam futuris, in perpetuum.

Cognitū fieri volo vestre discretioni, quod cùm Dominus omnipotens, ad honorem Namencensis castri, quod me ex parte auunculi mei, HENRICI Comitis Namuci & Luscelborg, iure hereditario contingebat, me sublimasset, & Henricus Sextus Romanorum Imperator, ex honore ipsius castri, & eius appenditijs, me MARCHIO-

NEM

NEM & Principem Imperij, præunte Principum suorum iudicio
& eorum subueniente consilio, fecisset;

Intuitu caritatis & eleemosynæ, dedi ecclesiæ S. Albani in Na-
muco quoquo anno viginti quatuor solidos Namucensis monetæ
in centibus meis de villa & herbata, quæ Noua villa nominatur;
ita inquam, quod duodecim solidos in Natali Domini, & duodecim
solidos in festo S. Ioannis Baptistæ ipsa ecclesia S. Albani, sine diffi-
cultate aliqua & dilatione, accipiat. Denarij quidem illi in reparati-
onem ipsius ecclesiæ conuertendi sunt: si verò nulla reparationis
necessitas apparuerit, ipsi denarij in luminari ecclesiæ cōuertentur.

Vt autem hoc ratum habeatur, & inuolatum permaneat, scripto
annotatum & sigilli mei appensione signatum, subscriptis testibus,
tam nobilibus quam ministerialibus, corroborauit.

Signa Nobilium.

Willelmi fratri mei, Nicolai de Barbentione,
Clarenbaldi de Alta ripa, & Henrici de Mula,
Simonis de Mosam, Nicolai de Geslin, Philippi de Werda,

Signa Ministerialium.

Willelmi & Nicolai Vngesee, Henrici de Autrepia,
Iberti de Ays, & Iberti filij eius.

Signa clericorum.

Gisleberti, S. Germani in Montibus & S. Albani in Namu-
co Præpositi & Custodis,

Hermannii Decani S. Albani.

Actum per manum Gisleberti predicti, in Hannonia & in Na-
muco Cancellarij mei, anno Dominicæ incarnationis millesimo 1192.
centesimo nonagesimo secundo, Cælestinino Papa III. Romanæ ec-
clesiæ pontificatum gerente, Henrico Sexto Imperatore Romanis
imperante.

N O T A T I O N E S.

DE BARBENTIONE) vulgo *Barbanzon*. Est arx & vicus Han-
noniæ, primo lapide à Bello monte distans, titulo Principatus ab
Alberto Pio Belgarum Principe an. 1614. honoratus.

AVTREPIA,) *Otrep*, vicus Hannoniæ prope Camberonam, Co-
mitatus titulo clarus.

Y y 3

CAPVT

CAP V T L X I V.

Idem Balduinus Comes Almanno, Guillielmi fratris sui filio, præbendam unam ecclesiae S. Albani Namurcensis an. 1195. confert, eiusq; sectionem in duas portiones decernit.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. BALDVINVS Comes Hannoniensis, & primus Marchio Namucensis, vniuersis Christi fidelibus, tam præsentibus quam futuris.

Discretioni vestræ notum fieri volo, quod cum Saluaricus, ecclesiæ S. Albani in Namuco Canonicus, præbendam, quam in ipsa ecclesia habebat, resignasset, ego ipsam præbendam ALMANNO clericu, Willelmi fratris mei filio, contuli; & ex communi ipsius ecclesiæ consensu, concessi & firmaui, quod si Almannum decedere contigerit, & eius pater Willelmus superuixerit, Willelmus ipsam præbendam, quoad vixerit, integrè possidebit, salua refectione annuatim ecclesiæ debita, & Vicaria pro seruitio ecclesiastico instituta.

Post decepsum verò Willelmi, duæ ex huius præbendæ bonis vniuersis sient præbendæ, quæ duobus à me & meis successoribus conferentur perpetuò sacerdotibus, qui continuum in ipsa ecclesia S. Albani statutum jurabunt.

Si verò Willelmus decesserit, antequam eius filius Almannus, similiter ex ipsius præbendæ bonis, post decepsum Almanni duæ sient præbendæ, quæ prædicto modo duobus conferentur sacerdotibus.

Vt autem ratum habeatur, & inconuulsu permaneat, scripto chyrographizato, & sigillo nostro, cum sigillo saepedictæ ecclesiæ confirmatum est. Cuius quidem scripti partem ecclesia S. Albani sibi retinuit, aliam verò sibi partem Willelmus frater meus, & eius filius Almannus sibi reseruauerunt. Testes,

Guilbertus ipsius ecclesiæ Præpositus & Custos,
Hermannus Decanus, Robertus,
Magister Adam Camerarius, Ioannes de Waleæ,
Philippus, Franco, Lambinus, Godescalcus, Henricus,
Lambertus, Ioannes, Renerus, Canonici.

Testes

Testes etiam domini Comitis & Marchionis fideles ad honorem Namucensis..... pertinentes viri, Nobiles, Clarenbaldus de Alta ripa, Walterus de Sotengien, Nicolaus de Condato, Philippus de Werda, & cum eis ipsius ecclesiæ Ministeriales, Ibertus de Aix & eius filius Ibertus, Renerus de Merlemon, Willelmus de Vngesys, Nicolaus nepos eius, Balduinus de Dansneu. Actum anno Dominicæ incarnationis millesimo centesimo nonagesimo quinto. 1195.

N O T A T I O N E S.

BALDVINVS Magnanimus, Flandriæ & Hannoniæ Comes, & Marchio primus Namurcensis, xvii. Kal. Ianuarij an. 1195. viuere desit, sepultus Montibus Hannoniæ in basilica S. Waldestrudis. In cuius tumulo, cùm ossa ad nouam basilicam transferrentur, hæc inscriptio fuit inuenta:

Hic iacet Balduinus Comes Hannoniensis, vir venerabilis, prudens, Princeps potens & illustris. Hic fuit filius Comitis Balduini, qui ante maius altare iacet. Hic ex parte matris suæ Namucum fuit adeptus, & inde primus Marchio Namucensis appellatus. Hic ex parte vxoris suæ Margaretæ, (quæ fuit filia Theodorici, & soror Philippi, Comitum Flandriæ) Flandriam cum Hannonia & Namuco possedit. Hic habuit filios, quorum Balduinus primogenitus in Flandria & in Hannonia, Philippus vero successit in Namuco. Habuit & filias, quarum una fuit Elizabeth, sanctissima Francorum Regina. Obiit XVII. Kal. Ianuarij 1195. Requiescat in pace. 1195.

Balduino Magnanimo vxor fuit MARGARITA, Philippi Alsatiæ, Flandriæ Comitis, in Syria sine liberis defuncti, soror & heres, quæ an. 1194. Winendaliæ decepsit, sepulta Brugis in templo S. Donatiani, ante aram maiorem. In cnius sepulcro an. 1352. reperta fuit lamina plumbea, cum ista epigraphe: Hæc fuit Margaretæ, vxor Balduini Comitis Flandriæ & Hannoniæ, primi Marchionis de Namu, mater Elizabeth sanctissimæ Francorum Reginæ, filia Theodorici, & soror Philippi, Comitum Flandriæ. Hæc fuit plurimorum meritorum, præcellens in omni opere bono cunctas mulieres viuentes in tempore suo. Obiit XVII. Kalend. Decembris, an. 1194. 1194, mense Nouembri. Requiescat in pace.

Idem Balduinus Magnanimus patrem habuit Balduinum cognomento

mento AEDIFICATOREM, matrem verò Aleidem: quorum epitaphia, olim ad tumulum legi solita, ne pereant, hīc libet subtexere.

*Balduini Aedificatoris, Hannonie Comitis, Montibus in templo
S. Valdetrudis sepulti, epitaphium.*

N^o 71. **B**ALDVINVS hīc requiescit, Comes Hannoniensis, cuius pro-
uus fuit Balduinus Hasnoniensis, qui ex Richilde genuit Bal-
duinum Hierosolymitanum. Ille Balduinus genuit Balduinum (qui
in hac humatus est ecclesia ante chorū) ex Alida, sorore Gode-
fridi Duci Louanij. Ille ex Iolide genuit hunc Balduinum, animo-
sum & fortē, iustitiae & pacis amatorem, erga subiectos humilem,
contra hostes rebellem, qui hanc ecclesiam S. Waldestrudis tertio
concrematam, & sancti quoque Vincentij Sonnegiensis plumbo texit,
& Castrī locum muris cinctit, & super portam basilicam S. Seruati
ædificauit, in Valentianis aulam & muros circa villam erexit, in
Bello-monte muros circa turrim construxit, Binchium, Haimonis
Quercetum, Buxum, castrum Ramis & Athum à fundamentis
condidit, turribus & ædificijs muniuit. Anno incarnationis Do-
mini millesimo centesimo septuagesimo primo, ætatis verò sua
sexagesimo secundo, VIII. Nonas Nouembbris obiit.

*Epitaphium Aleidis Comitissæ, quæ Godefredi Comitis Namurcen-
sis atque Ermensinda filia, & Balduini Aedifica-
toris uxor fuit.*

Me ligat ad Iapidem Comitissam mors Aëlidem,
Qui legis adde fidem, crastibi fiet idem.
Quid mihi famosæ dat fama, genus generosæ,
Quid mihi formosæ forma, nitorque rosæ?
Fama teper, generi dolor est speciem remoueri,
Sicque datur fieri non hodie quod heri.
Finis adest Iulio, cùm nulla vel altera fio,
Matris humi gremio more locata pio.
Sanctis cognata, Namucensi stemmate nata,
Sancta sequens fata, plaudo metendo fata;

Quisquis

Quisquis ades tecum voluas, quid nunc traho mecum:

Dum potes, est aquum te dare dona precum.

Huius epitaphij versus unus aut alter, marmori incisus, hodieque legitur, in ambitu chori nobilium virginum Canonicarum, Montibus Hannoniæ.

C A P V T L X V .

*Henricus I. Lotharingiae inferioris & Brabantiae Dux, prædia in
Milleghem à viro nobili Antonio de Bunscke, eiusq[ue] fræ-
tribus collata Canonicis Antuerpiensibus,
confirmat ann. 1202.*

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. **HENRICVS**, Deigra-
tia, Dux Lotharingie, & Marchio Romani Imperij, tam futuris
quām præsentibus in perpetuum.

Notum sit omnibus præsentem paginam inspecturis, quod AN-
TONIVS & fratres sui, videlicet Willelmus, Henricus, Arnoldus,
milites de Bunscke, duos manipulos decimę in Millenghem, &
xiv. bunaria allodij, quod in eadem villa hereditario iure possede-
rant, in manus nostras, ad usus Canonicorum ecclesie S. Mariæ in
Antwerpia, more nobilium, liberè & absolutè resignauerunt: &
nos eadem bona, intuitu diuinæ remunerationis, Canonicis præ-
dictæ ecclesiæ in perpetuum possidenda, sub testimonio nobilium
virorum, contulimus.

Vt autem hæc donatio rata & inconuulta in posterum perma-
neat, sigilli nostri impressione & testium subscriptione confirma-
uimus. Testium nomina hæc sunt,

Godefridus de Schoten, Arnoldus de Grimbergis,
Walterus Bertholt de Grimbergis,
Arnoldus & Gerardus fratres de Diest,
Lambertus de Rumpsdorpe, Henricus de Rikestelle,
Nicolaus de Ranft, Willelmus de Craihem,
Arnoldus Droffate de Rotselar,
Arnoldus de Wesemale, Nicolaus de Sant.

Actum anno incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimo 1202.
secundo.

Z z

NOTA-

NOTATIO.

DIEST.) Distemium Brabantiae opidum ad Demeram, hodie ad gentem Nassauiam pertinet, cum Castellania Antuerpiensi. Distemenses namque domini à multis retrò sacerulis fuerunt Castellani Antuerpienses.

CAPVT LXVI.

Philippus cognomento Nobilis, Marchio & Comes Namurcensis, numerum Canonicatum seu præbendarum, in Namurcensi S. Albani ecclesia, auget, an. 1211.

PHILIPPVS Marchio Namucensis vniuersis Christi fidelibus tam præsentibus quam futuris in perpetuum.

Nouerit vniuersitatis vestræ discretio, quod cum ecclesiam in Namuco S. Albani Christi martyris pretiosi inuenisse aliquantulum desertam, & quasi vacuam, sincera dilectione eam amplectens, cum bona deuotione in quam pluribus eam restruxi, tam in altariis quam nouoque presbyterio, tam campanis quam campanarijs, ac Dormitorio, pluribusque alijs ipsi ecclesiæ competentibus & necessarijs, gloriofisque Sanctorum reliquijs & preciosis ornamentis honorauit;

Assensuque domini HYGONIS Leodiensis Episcopi, à viris venerabilibus, domino STEPHANO scilicet Cantuariensi Archiepiscopo, totius Angliae Primate, & à domino BERTRANNO Metensi Episcopo, Dominica qua cantatur, Quasi modò geniti, anno gratia millesimo ducentesimo octauo, feci consecrari, & numerum Canonorum eiusdem ecclesiæ, qui erat septendecim, auxi tribus præbendis de proprijs bonis meis, & refeci numerum plenum viginti Canonorum.

Hec quidem non ex iactantia vel arrogantia refero, sed ut perpetue, ad conseruationem honorum & dignitatis ecclesiæ, tradantur memorie scripto præsente & sigillo meo, cum sigillo S. Albani, confirmata sunt. Actum anno Verbi incarnati millesimo ducentesimo undecimo.

CAPVT

CAP V T L X V I I .

*Idem Philippus, Marchio Namurensis, an. 1212. militaris sete
equestris ordinis viros liberat à seruitute soluendi melius
mobile, seu cathellum, ut vocant, post obitum.*

Ego PHILIPPVS Marchio Namucensis notum facio vniuersis,
Et am præsentibus quām futuris, quod consuetudines quasdam
indecentes, quas contra honorem militarem iniuste usurpaueram,
iniquas esse discernens, decreui & statui, vt à nullo milite, qui sit de
familia vel aduocatione mea, melius mobile (quod quidem melius
cathelum dicitur) de cætero accipiatur post eius decepsum, nec id
ab eius herede pro illo mortuo exigatur.

Vt autem hoc habeatur ratum, præsente scripto & sigilli mei ap-
positione confirmaui. Actum apud Reaton, anno Dominicæ incar- 1212.
nationis millesimo ducentesimo duodecimo.

N O T A T I O .

PHILIPPVS, cognomento Nobilis, Marchio secundus Namur-
censis, Balduini Imp. Constantinopolitani frater, non anno mil-
lesimo ducentesimo decimo tertio (vt eius tumulo per errorem à
posterioris æui manu insculptum legitur) sed anno millesimo du-
centesimo duodecimo viuere desijt: vt Paulus Cronendalius in sua
ms. Comitum Namurensium Historia, ex fide tabularum publi-
carum, rectè probat.

In eiusdem tumuli apud Namurenses inscriptione (quam in
Stemmatibus Belgicis cap. 23. produxi) falso dicitur fratri sui Hen-
rici in Comitatu Namurensi successor. Successit enim immediate
patri suo Balduino Magnanimo, & obiit quadriennio ante fratrem
suum Henricum Imperatorem Constantinopolitanum, qui Comes
Namurensis non fuit. Philippo autem Nobili in principatu Na-
murensi soror successit IOLENDIS, Petro Comiti Antifiodorensi
nupta: cuius tabulas mox producam.

Z z 2

CAPVT

CAPUT LXVII.

Petrus dominus de Bioul ius omne suum, quod habebat in filiam
Marlaniam, cedit Petro Comiti Antisiodorensi & Mar-
chioni Namureensi, eiusq[ue] coniugi Iolende,
an. 1213.

HVGO Dei gratia Leodiensis Episcopus vniuersitatem præsen-
tibus quam futuris. Noueritis hanc esse formam composi-
tionis & pacis perpetuę inter PETRVM Comitem Antisiodorensem
& Marchionem Namucensem, & IOLENDAM Comitissam, vxorem
eius, Marchionissam Namucensem, & Gobertum de BIOL, su-
per reclamationibus & querelis, quas ipse Gobertus contra prædi-
& os Comitem & Comitissam, & contra eorum prædecessores mo-
uerat, de memoribus quæ dicebantur esse de Marlania & de Bioul.

Gobertus siquidem, in nostra & prædictorum Comitis & Co-
mitissæ constitutus præsentia, subque plurium parium suorum &
aliorum nobilium testimonio, omne ius, quod in prædictis memo-
ribus se habere dicebat, spontanea ductus voluntate, & omissis
omnibus exinde caussis & querelis, illud totum prædictis Comiti &
Comitissæ & eorum heredibus in proprietatem dimisit.

De consensu autem prædictorum Comitis & Comitissæ, Gober-
tus satis dictus retinuit sibi & heredibus suis, in prædictis nemori-
bus, ligna viui nemoris, ædificijs suis proprijs necessaria, infra po-
testatem de Bioul, & non alijs, siue dando vel vendendo, & ligna
mortui nemoris suo foco proprio oportuna, & pascua porcorum
suorum domus suæ propriæ de Bioul....

Vt autem hæc rata permaneant, petitionem utriusque partis,
scripto præsente & sigillo nostro, cum sigillis satis dictorum Co-
mitis & Comitissæ, confirmavimus. Huic scripto sigilla sua appo-
suerunt, in testimonium, viri nobiles,

Alardus de Cimaco, Hugo de Florinis,

Wilhelmus patruus, Nicolaus de Condeto,

Walterus de Fontanis, Clarenbaldus de Alta ripa.

Aetum apud Floreffe anno Domini millesimo ducentesimo
tercio decimo, mense Augusti.

NOTATIO.

1213.

NOTATIONES.

MARLANTIA silua amplissima haut procul Namurco distat; in qua eremiticum habent cœnobium Carmelitæ discalceati, beneficio Alberti & Isabellæ, Principum Belgij.

CIMACVM) vel Chimacum, *Chimay*, Hannoniæ opidum, Principatus titulo clarum: de quo vide supra lib. I. cap. 100.

CAPVT LXIX.

Petrus Comes Antifiodorensis & Marchio Namurcensis, decimas Namurcensi Canonicorum B. Mariae collegio, à prædecessore suo Philippo Nobili, attributas, confirmat,
an. 1214.

PETRVS Comes Antifiodorensis & Tormirenſis & Marchio Namurcensis, & IOLENDIS Comitissa, vxor eius, & Marchionissa, vniuersitatem presentibus quam futuris, in perpetuum.

Nouerit vniuersitatis vestre discretio, quod cum vir illustris, bona memoriæ, PHILIPPVS Marchio Namurcensis, prædecessor noster, graui detentus infirmitate, sanctam mentis vigens conscientia, viros venerabiles & religiosos, Conradum scilicet Villariensem, & Balduinum Camberonensem, & Nicolaum Marchianensem & Renerum Valencenensem, Abbates, testamenti sui procuratores penitus & executores constituit, decimas suas omnes, quas tunc temporis ad manus suas habebat, eisdem Abbatis inter cetera resignauit, conferendas liberè & absolutè ecclesijs, eorum dispositione, & saniore qua possent ordinatione, in elemosynam perpetuam, exprimens eis loca, quibus decimas illas specialius conferri desiderabat.

Iam dicti igitur Abbates assignauerunt ecclesiæ B. Mariæ in Namuco, in elemosynam perpetuam, omnes partes decimarum, quas predictus Marchio Namurcensis, seu illius antecessores habuerant apud Esminis, & apud Vmbercees, & ad Burges, & ad S. Medardum, & ad Nouillam & Altrepiam, & ad Warisoul, &

quartam partem totius grossæ decimæ de Genine, & de Anhe,
& de locorum illorum appenditijs. . . .

Nos equidem satis dicto Marchioni in Marchia & Comitatu
Namucensi iure hereditario succedentes, omnia prædicta tam de
decimis supradictis prafatæ ecclesiæ beatæ Mariæ collatis, quam de
nemoribus nobis retentis, pleniū approbamus, sigillisque nostris,
E 214. vt eadem rata permaneant, confirmamus. Actum anno Verbi in-
carnati millesimo ducentesimo quarto decimo, mense Maio.

N O T A T I O N E S.

PETRVS Comes Antisiodorensis) seu potiūs Autisiodorensis, per
V. Gallicè d' Auxerre. Tormirensis, Tonnerre. Ceterūm qua ratio-
ne PETRVS fuerit electus Imperator Constantinopolitanus, breui-
ter hīc narrare fuerit operæ pretium.

BALDVINO Flandriæ & Hannoniæ Comiti in dicto Imperio
HENRICVS frater successit, qui anno millesimo ducentesimo de-
cimo sexto, die 3. Iunij Thessalonica obiit. In Henrici locum, Fran-
ci, Veneti & alij Latini, qui tum in Græcia versabantur, PETRVM,
Philippi Augusti Francorum Regis cognatum, elegerunt, missaque
legatione in Orientem euocarunt. Is nuntio accepto, cum vxore
sua IOLENTE, Romam se contulit ad Honorium Papam, qui ipsos
in ecclesia S. Laurentij extra muros an. 1218. coronauit.

Roma Constantinopolim cogitans Petrus, in via à Theodoro
Lascare, alijsque Græcis prope Dyrrachium captus, diu ab ijsdem
in custodia detentus fuit: in qua & misere obiit, adeoque Constan-
tinopolim numquam attigit. Quo fit, vt à scriptoribus Græcis, in
serie Latinorum Imperatorum omitatur, & nominatim à Nice-
phoro Gregora, qui lib. 4. sic ait: Qui verò tum Constantinopoli
regnaret, Balduinus erat, Balduini primi ex sorore nepos. Ei enim
frater Henricus successit, huic sororis Iolentæ primogenitus filius
Robertus, Roberto fratre atate proximus Balduinus. Hactenus Ni-
cephorus.

Petro itaque à Græcis capto, IOLENTE, vxor eius, Imperij Con-
stantinopolitani administrationem suscepit: cui anno proximè se-
quenti defunctæ ROBERTVS filius in Imperio successit.

CAPVT

C A P V T L X X .

*Vallis Dei, Abbatia monachorum ord. Cisteriensis, in diœcesi Leo-
dicensi, tertio lapide à Limburgo, fundatur à Lothario
Comite Hostadiensi, an. 1216.*

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. ENGILBERTVS, dju-
na fauente clementia, sanctæ Coloniensis ecclesiæ Archiepisco-
pus, vniuersis Christi fidelibus, ad quos præsens pagina peruererit,
in perpetuum. Ne rei gestæ finem coniumat obliuio, litterarum
solet indicijs æternari.

Quapropter nouerit tam præsens ætas quam successura posteri-
tas, quod Lotharius Comes de Hostaden, zelo piæ deuotionis suc-
census, de connuentia & consilio ministerialium suorum, mansum
terre, duodecim bonaria continentem, iuxta Sartum S. Ioannis, ab
heredibus comparatum, Abbatii WIDONI & confratribus suis de
S. Agatha, Cisteriensis ordinis, pro remedio animæ suæ, ac paren-
tum suorum, per manus nostras, liberum & absolutum ab omni
iure, censu & exactione, contradidit: vt fratres iam dicti monaste-
rium suum in locum transferrent eumdem, tamquam ipsis magis
idoneum & commodiorem.

Vt igitur hoc factum rationabile, ratum permaneat & inconcul-
sum, præsentem paginam exinde conscriptam, sigilli nostri cha-
ractere, & sigillo Comitis præfati dignum insigniri duximus; sub
anathemate districte præcipientes, ne quis huic facto ausu temera-
rio contraire præsumat. Huius rei testes sunt,

Conradus maior Decanus & Archidiaconus Coloniensis.

Godefridus Capellanus.

Conradus & Arnoldus Canonici Colonienses.

Henricus de Ellende, Canonicus SS. Apostolorum.

Otto de Wikerhode, Adolphus de Ellende.

Willelmus de Nuenhagen.

Reinardus Dapifer de Hostaden.

Herbordus de Mareke, Adolphus de Culen.

Petrus de Wikerhode, Lodouicus Dapifer de Dolchem.

Peregrinus Notarius, & alij quam plures.

Acta

1216. Acta sunt hæc anno gratiæ millesimo ducentesimo sexto decimo, pontificatus nostri anno primo.

N O T A T I O N E S.

VALLIS DEI,) Gallicè *Vaux Dieu*, Flandricè *Godesdale*, sita est
medias inter silvas, in confinibus Ducatus Limburgensis & Co-
mitatus Dalhemiensis, in agro nobis Transmolano.

S. ENGILBERTVS) A. Colonensis & martyr, teste Cæsario, fuit
frater Adolphi Comitis Montensis ad Rhenum; cuius filiam & here-
dem duxit Henricus IV. Dux Limburgensis: ut supra lib. 1. cap.
88. & lib. 2. cap. 49. diximus.

C A P V T L X X I.

*Iolendis Marchionissa & Comitissa Namurcensis, ad Imperij Con-
stantinopolitani coronam, cum Petro marito suo, euocata,
cedit Philippo filio suo Comitatum Namurensem,*
an. 1216.

EGO IOLENDIS, Comitissa Antisiodorensis & Marchionissa Na-
mucensis, notum facio vniuersis præsentibus & futuris, quod
cum terram meam Namucensem, cum integritate feodi, dedissem
PHILIPPO filio meo in proprietate; retinui mihi de ipso feodo,
assensu eiusdem filij mei, in redditibus Binciensibus, quindecim li-
bras denariorum, annuatim conferendas ad voluntatem meam in
eleemosynam, & percipiendas omni anno in Purificatione beate
Mariæ.

Institui quidem Capellaniam perpetuam in ecclesiæ B. Albani
Namucensis altari, ante sepulcrum germani mei Philippi, quon-
dam Marchionis Namucensis, pro ipsius & mea, & viri mei Petri
Comitis Antisiodorensis, & parentum meorum salute. Beneficium
igitur illud conferendum semper facyt, qui in propria persona
prædicto altari deseruiat, in Missa pro fidelibus defunctis. Salua
semper illa Missa, quam prædictus germanus meus ibidem instituit
cum anno beneficio XV. librarum.

Hi verò duo Capellani Horis conuentualibus in eadem ecclesia
concentur

tenentur interesse: sed neuter eorum ad celebrationem maioris Missæ cogendus est.....

Satis dictus quippe filius meus, de tota terra Namucensi, cum integritate feodi, & dominio eiusdem terræ, bene & legitimè adheratus, satis dictæ Capellaniæ institutionem, modo quo prædictum est, approbavit, & sigillo suo, cum mei sigilli confirmatione, diligenter roboravit. Actum anno Verbi incarnati millesimo ducentesimo sexto decimo.

1216.

N O T A T I O .

Ex hoc diplomate datur intelligi, Iolentam, eiusque maritum Petrum Autisiodorensem, non nisi annis quattuor possedisse Comitatum Namurensem, & anno millesimo ducentesimo decimo sexto cessisse Philippo filio dictum Comitatum seu Marchiam Namurensem, paulò antequam Romā proficerentur, ad suscipiendam coronam Imperij Constantinopolitani ex manibus Pontificis Maximi. Quod nota contra Meierum, qui ad an. 1225. hæc refert.

C A P V T LXXII.

*Philipus illo nomine secundus Marchio Namurensis, Petri Imp.
Constantinopolitani & Iolendis Comitissæ Namurensis fi-
lius, Namurensem S. Albani ecclesiam dotat,*

an. 1221.

Ego PHILIPPVS Marchio Namucensis omnibus, tam futuris quam presentibus, paginam hanc inspecturis, notum facio, quod pro animabus PETRI bona memoria Imperatoris Constantinopolitani, patris mei, & IOLENDIS Imperatricis, matris meæ, & antecessorum meorum, ecclesiæ S. Albani Namucensis, in elemosynam perpetuam, affectu benigno, contuli omnes calceos, qui mihi debebantur omni anno, duobus terminis de stallagio Namucensi;

Saluis tamen illis calceis, qui de iure debentur Scabinis Namucensibus, & tribus horoscopis, duobus portarijs castri, & duobus præconibus ville, saluis quoque alijs calceis, si qui iudicio Scabini-
gum Namucenium alias de iure debeantur.

A a a

De

D I P L O M A T A

370

De his quidem calceis institui, ut omni anno in perpetuum, in die anniversarij parentum meorum, pia memorie, Canonici S. Albani, qui praesentes erunt anniversario, distribuantur quindam solidi Valencenensis monetæ.

Testes huius rei, Gillebertus Praepositus, & Hugo Decanus S. Albani, & magister Ioannes Custos S. Albani, Notarius meus, cum præsentibus eiusdem loci Canonici, scilicet Alardo, Renmo, Dionysio, Petro & Seruatio, & alijs.

Testantur etiam hoc factum meum vir nobilis Gerardus de Iacea, Simon quoque de Genleng, & Balduinus de Lobijns, milites, quia præsentes fuerunt. Sub testimonio etiam Philippi de S. Lupo, Villici Namucensis, & Scabinorum, videlicet Renaldi, Sigeri, Lamberti de Burges, Philippi de Vanasseur, & Colini de Vellomonte, & multorum aliorum.

Vt autem hæc eleemosyna mea, bene & pro bono facta, non valeat irritari, sed firmitatem perpetuam obtineat, chartulam hanc sigilli mei appensione muniri feci. Actum in festo beati Dionysii, anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo vicesimo primo.

N O T A T I O.

PHILIPPVS illo nomine secundus Comes Namurcensis, ad bellum sacrum contra Albigenses profectus, in obsidione Auenionensi, aut paulò post urbem illam à Ludouico Galliæ Rege captam, an. 1226. viuere desit, non relicta sobole; sepultus Valcellis, quæ est Abbatia ord. Cistertiensis, haut procul à Cameraco, ubi tumulus eius marmoreus in claustro Capituli hodieque visitur. Fundari post obitum suum iussit Abbatiam Grandi-pratensem, ut infra cap. 78. dicemus.

Philippo in Comitatu Namurcensi suffecta est soror MARGARITA, Henrico Comiti Viennæ seu Viandæ in agro Luxemburgensi nupta.

CAPVT

C A P V T L X X I I I .

*VValeramus, Dux Limburgensis & Comes Luceburgensis, Roberti-montense virginum cœnobium, ord. Cistertiensis,
an. 1221. dotat.*

WALERAMVS Dux de Lemburg, Comes de Lucemburg, & Marchio de Arlon, vniuersis Christi fidelibus....Inde est, quod Conuentui sanctorum monialium de ROBERTI-MONTE, Cisterciensis ordinis, nemus de Nigirrey, sicut in spelunca eiusdem loci usque ad nemus earum extenditur, contulimus & concessimus perpetuo possidendum. Datum Lemburg, anno gratiae millesimo ducentesimo viceximo primo. 1221,

N O T A T I O .

WALERAMVS iste, Dux Limburgensis & Comes Luceburgensis, supra lib. 1. cap. 95. pag. 219. memoratus, obiit an. 1229. iuxta Cronendalum, aut an. 1238. iuxta archiuia monasterij ad Rodam Ducis siti; in quo sepultus iacet, cum hoc epitaphio:

Uite fuit talis, virtutibus Imperialis,
Maiestas similem nesciuit habere per orbem,
Limburg Dux, Archos Arlon, Comes in Lucelburg,
Walranus: dictus Dux Henricus pater eius.

C A P V T L X X I V .

*Post longum bellum, pro Comitatu Namurcensi, inter Philippum
Marchionem Namurensem & VValeram Duxem Lim-
burgensem ac Comitem Luxeburgensem gestum,
pax omponitur an. 1222.*

EGO IOANNA, Flandriæ & Hannoniæ Comitissa, omnibus certum facio, quod post longam guerram habitam inter me, & PHILIPPVM Marchionem Namucensem, consanguineum meum,
Aaa 2 & fi 3

D I P L O M A T A

372

& fidelem ex vna parte, & virum nobilem dominum VALBRA:
MVM DUCEM de Lembourg, Comitem de Luxenbourg, & dominam
ERMENSINDEM, vxorem eius, ex altera parte, super Comitatu Na-
mucensi; pax est reformata in hunc modum

1322. Actum apud Dionantum feria secunda post Inuocauit, anno
millesimo ducentesimo vicesimo secundo, mense Martio.

N O T A T I O.

IN HVNC modum.) Per hunc tractatum pacis, non exigua Co-
mitatus Namurcensis portio transmoiana cessit Waleramo Duci
Limburgensi ac Comiti Luxeburgensi: altera verò portio mansit
penes Philippum Comitem Namurensem.

C A P V T L X X V.

*Argentonium, monialium ord. Cisteriensis cœnobium in Gallo-
Brabantia, an. 1229. fundatur à Guilielmo Harentony
domino, & Ida eius coniuge.*

VNIVERSIS Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis Wil-
lelmus de HARENTON, & vxor eius, cognoscere veritatem.
Vniuersitati vestræ notum facimus, quod nos, propter salutem
animarum nostrarum & prædecessorum nostrorum, contulimus
in eleemosynam liberè & absolutè conuentui monialium, quæ con-
silio nostro se transtulerunt de Grandi-valle, ad locum qui dicitur
ARGENTON, prope Harenton, omnia bona nostra, quæ habemus
apud prædictum Harenton, tam in agris quam in pratis & nemo-
ribus, & molendino, & viuario, & redditibus & censu, & domi-
bus; exceptis septem bonarijs terra arabilis, quæ contulimus ec-
clesiæ de Gemblaco.

In cuius rei testimonium præsentes litteras sigillo domini I.,
quondam Aconensis Episcopi fecimus sigillari, sub hac conditio-
ne, quod prædicta bona & possessiones in vita nostra detinebimus,
post mortem vero nostram ad prædictas moniales deuoluentur.

1329. Actum anno domini millesimo ducentesimo vicesimo nono,
mense Maio.

NOTA.

N O T A T I O.

Ii quondam Aconensis Episcopi.) Designatur hīc Iacobus à Vītriaco, Aconensis in Syria Episcopus, cuius Historia Orientalis & Occidentalis, aliaque scripta exstant.

C A P V T L X X V I.

Godefridus Peruesij dominus Argentonensis monasterij fundationem confirmat an. 1230.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Vniuersis Christi fidelibus, tam præsentibus quam futuris, præsentes litteras inspectoris, ego GODEFRIDVS dominus de Peruez, Ducis Lotharingiæ fratris filius, cognoscere veritatem.

Vniuersitati vestræ notum facio, quod Willelmus de HARENTON, & vxor sua IDA, de licentia & voluntate mea, in eleemosynam contulerunt domui de Argenton, Cistertiensis ordinis, Leodiensis diœcesis, terras, aquas, silvas, prata & ædificia, cum molendino & rebus alijs, tam mobilibus quam immobilibus, quas habent & habituri sunt apud Harenton, nihil mihi iuris omnino, nihil sibi vel suis heredibus, successoribus, aut propinquis reseruando, præter usum fructum, quem dicti Willelmus & Ida in rebus supradictis, quamdiu vixerint, tantum sibi reseruauerunt, & se ptem bonaria terre, quæ iam dicti Willelmus & Ida domui Gemblacensi..... tenentur assignare post obitum suum, iure perpetuo possidenda.

In huius rei testimonium, ut hæc rata & inconcussa permaneant, præsentes litteras sigilli nostri munimine dignum duxi roborandas.

Præterea etiam omnibus innotescat, quod voluntate nostra & assensu, filiæ domini Thomæ militis de Smechim, scilicet Clara & Achias, domum monialium de Harenton possunt intrare, & ibidem de licentia nostra habitum assumere monialem. Datum anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo, feria tertia post festum B. Laurentij. 1230.

A a a 3

JOANNES

*Ioannes Leodicensis Episcopus Argentonum in protectionem
suscepit an. 1232.*

IOANNES, Dei gratia Leodiensis Episcopus, vniuersis praesentes litteras inspecturis in Domino salutem. Vnueritati vestra notum facimus, quod domum monialium de Argenton, Cisterciensis ordinis, & locum ipsarum sub nostra protectione recipimus; donum, quod eis contulit Willelmus de Harenton & ida vxor sua, auctoritate nostra confirmantes eisdem, & alia simili- ter que à fidelibus eis iuste & rationabiliter sunt collata.

1232. Datum anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo secundo, mense Augusto, feria sexta post festum beati Laurentij.

N O T A T I O N E S.

PERVEZ) siue Perues, quod Antonino in Itinerario est Peruicia- cum, Gallo-Brabantiae municipium, titulo Baroniæ clarum, poten- tes olim dominos habuit, ex ipsa stirpe Ducum Brabantiae: cui stirps Hornana successit. Theodericus Hornanus, Peruesij & Duf- flæ dominus, an. 1375. tabulas Cortebergenses signauit.

Ducis Lotharingiae fratri filius.) Notent antiquitatis nostratis studiosi, Godefrido Peruesij domino patrem fuisse non Ducem, sed fratrem Ducis Brabantiae seu Lotharingiae inferioris.

C A P V T LXXVII.

Scladinense Canonicorum collegium, in agro & diocesi Namur- censi, an. 1229. dotatur à Florentio Abate S. Cornelij Indensis prope Aquasgrani.

FLorentius Dei gratia Abbas, totusque Conuentus Indensis Ecclesiæ, omnibus praesentes litteras inspecturis gratiam Dei & orationes.

Cum omne bonum à Deo sit, vnde omnis fidelis illud amare debeat & amplecti, per presentem scripturam notum facimus vniuersis, decimam totam grossam & minutam, quam habebamus & possi-

possidebamus sana conscientia, in villa nostra de *Sdain* & in eius appenditijs, nos de communi assensu & deliberatione, contulisse conuentuali ecclesiæ Canonorum B. Mariæ de *Sdan*, perpetuis temporibus, sine contradictione & reclamatione tenendam & habendam, titulo eleemosynæ; eiuldem ecclesiæ tenuitatem nimia p[re]i considerata, cùm Indensis ecclesia, tamquam pia mater, filiæ suæ SCLADINIANI adesse teneatur & prodeesse.

Huius autem rei gratia fratres & Canonici prædictæ ecclesiæ hilari animo concederunt, de deliberato consilio sui Capituli, se singulis annis solenniter celebraturos festum patronorum nostrorum beatorum martyrum Cornelij & Cypriani, & exequias fratum nostrorum morientium, sicut & suorum Canonorum celebrare: & nos idem eis concessimus de suis Canonicis decedentibus.

Largiti sunt autem nobis Canonici memorati, de benignitate propria, voleñtes recompensare gratiam pro gratia, in quantum facultas eorum pati valuit, quadraginta & octo marcas Coloniensis monetæ, de quibus nos acquisiuimus ecclesiæ nostræ alios reditus, pro dicta decima, præpinguiores & vtiliores.

Prænominatam verò pecuniam vir bonæ memorie dominus Hugo, quondam Leodiensis Episcopus, Canonicis antedictis p[re]i legauerat in extremis, ut de eis reditus acquirerent ad suum anniversarium.

Quare libentiūs & meliūs illam nobis dederunt, cùm de dicta decima ipsius Episcopi anniuersarij diem ordinauerint celebrare.

Vt autem præmissa inconuulsa obseruentur, præsentem chartam sigilli nostris communiuimus, in robur & testimonium perpetuæ veritatis.

Datum in pleno Capitulo nostro, anno Domini millesimo ducentesimo vicefimo nono, mense Iulio. 1229.

N O T A T I O N E S.

INDENSE S. Cornelij monasterium Benedictinorum, ad Indam fluuiolum, tertio lapide ab Aquisgrani situm est, vulgo *Cornelius-Münster*. Huius loci Abbas est collator Præposituræ Scladinienfis.

SCLADINIVM, Gallicè *Sdain* vel *Sclain*, vicus in Comitatu Namurcensi, non procul ab Andenna.

Aliud

Aliud est Seclinum, *Seclin*, municipium agri Insulensis in Flan-
dria, collegio Canonicorum similiter clarum.

C A P V T L X X V I I I .

*Ruremunda in Gelria nobilium virginum monasterium, ord. Ci-
stertiensis, à Gerardo Gelria Comite, eiusq; coniuge Mar-
garita, conditum & dotatum an. 1218.*

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego GERHARDVS,
Comes Gelrensis, omnibus hoc scriptum inspecturis salutem
in eo qui est salus omnium. Quæ geruntur in tempore, ne labantur
cum tempore, poni solent sub lingua testium, & scripturæ memo-
ria perennari.

Ideo siquidem notum esse cupio tam præsentibus quâm futuris,
quod cum venerabilis mater mea RICHARDIS nomine, seculari-
bus negotijs fastidita, sancti Spiritus inspirante gratia, veterem ho-
minem exuere, & nouum, videlicet Cistertiensis ordinis habitum,
induere decreuisset, extra fines proprios in partes extraneas propo-
suit declinare. Vnde non modica correptus tristitia, cum amico-
rum meorum vñā mecum instantia, ab hoc tandem proposito vix
fuit reclinata. Ipsam enim in proprijs patriæ malebam prædijs de-
dere sub ordine desiderato, quâm in alienis partibus prædicto mo-
do conuersari.

Igitur ego Gerhardus & MARGARETA, coniux mea, vñā cum
filio nostro OTTONE, pium eius desiderium studentes promo-
uere, supplicatu nostro, eam, personis Cistertiensis, tam fra-
trum quâm sanctimonialium, Cistertiensis ordinis, sibi prouidè de-
putatis, in opidum nostrum RVREMUNDE honorifice perduximus;

Et ecclesiam B. Mariæ semper virginis, ibidem in prædio nostro
constructam, cum omni iure suo, quo nobis dignoscetur attine-
re, & præterea quadraginta areas circumiacentes, & tres areas quas
contulit quidam Hermannus, cum Anca dictus, cum omnibus at-
tentijs suis, atque bona alia, quæ in præsenti pagina consequenter
inueniuntur expressa, in remedium animarum nostrarum, paren-
tum ac prædecessorum nostrorum, Deo & B. Mariæ semper virgini
obtulimus;

Conferentes

Conferentes ea venerabili matri nostræ in eadem ecclesia Abbatissæ ac Conuentui, ibidem Domino deseruienti, perpetuò possi-
denda; ius quoque patronatus ecclesiarum *GELREN*, videlicet no-
uæ & veteris, cum totali decima & siluis ac alijs attinentijs suis;
patronatum ecclesiæ *Kettene*, cum totali decima, & siluis; ac cete-
ris attinentijs suis; patronatum ecclesiæ *Rodhem*, cum totali deci-
ma & siluis atque alijs attinentijs suis. Decimam tamen eamdem
ecclesiarum statuimus, sic ut nunc est, permanendam, & silvas si-
ne consensu nostro nec vastandas omnino, nec in noualia redi-
gendas.

Statuimus quoque easdem ecclesias nulli clero sacerdotali, sed
fratribus prædicti cœnobij conferendas; & si præfatus Conuentus
fratrum defectum patiatur, sacerdtales clericos tamquam vicarios
instituat. Præterea unam marcam ad luminaria prædictæ ecclesiæ
de fermento ceruisia, quod vulgo *Grut* nuncupatur, annuatim ex-
soluendam, & tantum ejusdem fermenti, quantum sæpedictus
Conuentus ad ceruisiæ necessæ habuerit, ordinauimus ipsi perpe-
tuò administrandum.

Quidam autem nomine Godefridus de Mirlare dimidium man-
sum in *Hamme*, qui quattuor solidos Leodiensis monetæ singulis
annis soluit, à nobis iure feodali tenuit, quem cuidam, nomine Si-
berto de Biersbeke, simili iure quo tenuerat, concessit, quique
quemdam, *Winandum* nomine, hereditario pacto in præfata
terram, videlicet prædictorum solidorum instituit; quam . . . ter-
ram, consensu prænominatorum virorum, comparauit suprnomi-
nati loci Conuentus.

Nos igitur, ut nihil de contingentibus omitteretur, sæpedictos
solidos, in reuerentiam Matris misericordiæ, eidem Conuentui
perpetuò donauimus. Item unum molendum in *Rura*, & quar-
tam partem unius iugeris, iuxta curiam *Muckenbruke* prælibato
Conuentui contradidimus, in perpetuum possidenda....

Tali vero conditione interueniente, bona superiùs memorata,
cum attinentijs suis, sæpedicto Conuentui contulimus, ut si casu
enimdem Conuentum de loco, in quo nunc est, in alium locum, si-
ne nostro consensu, transferri contigerit in posterum, supradicta
bona ad nos liberè redeant possidenda. Præterea ne aliquis succes-
torum nostrorum, repletus inuidia, sæpedicta bona prænominato

B b b

Conuen-



Conuentui minuere valeat, aut omnimodis auferre, presentem paginam nostri sigilli munimine roborauius. Testes vero,

Vir nobilis Henricus de Monte,

Et Waltherus de Eile,

Et Gerhardus de Barsdunc, & frater suus Henricus,

Et Gerhardus de Rotheim, & Arnoldus de Wachtendunc,

Theodericus Aduocatus in Ruremunde,

Et Nicolaus scriptor, & alij quam plures.

1224. Datum Traiecti anno Dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo quarto, xvi. Kal. Iulij.

N O T A T I O N E S.

Diploma istud eius an. 1224. sit scriptum, ex epitaphio tamen fundatorum, quod marmori incisum legitur Ruremunda in hoc ipso cœnobio, constat illud an. 1218. fundatum fuisse: Anno Domini M. CC. XXIX. ipso die S. Seueri Episcopi, obiit Gerardus Comes Gelriæ & Zutphaniæ, qui cum Margareta coniuge sua monasterium istud fundavit, anno M. CC. XVIII. ambo in hoc loco sepulti.

Cœnobium istud vulgo Munster-clooster nuncupatur, & illius Visitator est Abbas Campi veteris prope Rhenobercam, de quo supra hoc libro cap. 42. egit.

ADVOCATVS in Ruremunde,) vernaculè Voecht: quæ dignitas hodie est penes familiam de Viuersem.

C A P V T L X X I X.

Contractus antenuptialis, inter Henricum Blondum Comitem Lucebursensem & Margaritam Barrensem, an. 1231. initu: quo contractu Lineum familia Luceburgica accessit.

EGO ERMENSINDIS, Comitissa Lucemburgensis, Marchionis Arlunensis, omnibus præsentes litteras inspecturis notum facio, quod HENRICVS dominus de Lucemburg, filius meus, ducere debet in vxorem MARGARETAM, filiam domini Henrici Comitis Barrensis: & idem Comes dedit filio meo prædicto in maritatio-

gio

gio Lineum, & Castellaniam cum dependitijs, hominijs & domenijs:

Ita quod Lineum & Castellaniam, cum supradictis omnibus, eidem tenetur facere valere septingentas libras, ... annuatim, tali conditione, quod si terra iam dicta minus quam septingentas libras valeret annuatim, ipse defectum tenetur ei assignare per dictum duorum bonorum virorum, quorum alter de hominibus meis, reliquus vero de hominibus Comitis Barrensis debet esse de Lineo in terra sua. Et si iam dicta terra plus quam septingentas libras annuatim valeret, hoc quod supercreceret, sibi & alijs heredibus suis remaneret.

Et haec debent discerni per duos dictores supradictos per assensum meum & Henrici filij mei, & Comitis Barrensis, ad hoc electos. Terram autem supradictam debet facere tenere Comes Barrensis Henrico filio meo liberè, sicut allodium proprium, & sine servitio alicui propter hoc impendendo. Ipse vero filius meus vel heredes sui illam de aliquo reaccipere in feodo non possunt.

Si vero Margaretam filiam Comitis, sine herede corporis sui, vel heredes suos, si quos haberet de filio meo, de herede in heredem, sine herede mori contingenteret, terra predicta ad Comitem & heredes suos rediret.

Et si ELISABETH filiam meam, predicti Comitis sororem, filij mei Walerami uxorem, sine herede corporis sui, vel heredes suos, si quos haberet, de herede in heredem, sine herede mori contingenteret, Marci-villa cum appenditijs suis, & Arencay cum appenditijs suis, sicut ego eadem teneo in dote, redirent ad Margaretam filiam Comitis, & ad Henricum maritum eius, filium meum, & heredes eorum: & tunc terra de Lineo sapradicta ad Comitem Barrensem & heredes suos alios reuerteretur.

Item si dictam Margaretam sine herede corporis sui, vel heredes suos, si quos haberet de Henrico filio meo, de herede in heredem, sine herede mori contingenteret, Marci-villa & Arencayum cum appenditijs, sicut supra dictum est, ad Comitem & heredes suos reuerterentur. Dicte vero Henricus filius meus debet dotare sapientiam Margaretam de septingentis libris terrae in castello & Castellania, in hominijs & in dominijs. Et in illodie, quod idem filius meus Margaretam ducet in uxorem, debent nominari

B b b 2

& ca.



& castellum & Castellania supradicta, & terra assignari per duos dictores supradictos.

Et idem filius meus tenetur ducere in uxorem eamdem Margar-
etam, quam eitò ipsa ad etatem deuenerit competentem: & super
hoc ipse filius meus fidem dedit. Et ego ERMENSINDIS Comitissa,
mater eius, hoc matrimonium, & omnes conuentiones supradictas
tenere, & facere teneri creantauit, & super his fidem dedi. Ipse et-
iam Comes Barrensis ipsum matrimonium, & omnes conuentio-
nes supradictas tenere, & facere teneri, fide data, creantauit.

Et super his obseruandis amicos & fideles meos plegios consti-
tuvi de tribus millibus libris Metensis monetæ. Similiter Comes
Barrensis super eodem matrimonio, & super prædictis conuentio-
nibus tenendis, amicos & fideles suos plegios constituit de tribus
millibus libris Metensisbus.

*Quod ut firmum sit, præsentes litteras sigilli mei munimine ro-
borauit. Actum anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo
primo, mense Iulij.*

Idem contractus antenuptialis an. 1235. ratificatur.

Ego ERMENSENDIS, Comitissa Lucemburgensis & Rupensis
promisi nobili viro HENRICO Comiti Barrensi, de ma-
trimonio, quod debet contrahiri inter Henricum filium meum, &
Margaritam filiam eiusdem Comitis Barrensis..... Actum anno
1235. gratia millesimo ducentesimo tricesimo quinto.

N O T A T I O N E S.

Contractus iste antenuptialis et si an. 1231. initus fuit, matrimo-
nium tamen an. 1240. demum fuit consummatum; eo quod Mar-
garita Barrensis ad etatem nubilem an. 1231. nondum peruenisset.
Vide supra lib. 1. cap. 95. pag. 220.

Ceterum ex isto contractu antenuptiali, & altero quem supra lib.
1. cap. 72. recitati, liquet, familiam Luxemburgicam ex qua tot Im-
peratores, Reges, Duxes, Cardinales, Episcopi, Equites Velleris
aurei, & alij heroës prodierunt, trahere originem non à vetustis
Comitibus Luxemburgisbus (ut Wasseburgius, Vignierius, Reu-
snerus,

snerus, Henninges, Bertelius, & alij conantur adstruere) sed à Ducibus Limburgensis.

Quod etiam facit, quod Comites S. Pauli, ex familia Luxemburgicae prognati, Leonem Limburgicum, non Luxemburgicum, pro insigni gentilicio, semper prætulerint ac gesserint. Id liquet ex quarteris, ut loquuntur, Philippi Cliuensis Rauestenij, eiusque coniugis Franciscæ Luxemburgicæ, Bruxellis in choro Dominicanorum, tumulo eorumdem appensis: inter quæ quarteria primum locum obtinet insigne Limburgicum, hoc est, Leo tuber in scuto argenteo, cum inscriptione, *Limbburg*: cùm alioqui debuisset poni *Luxemburg*, pro primo quarterio.

DE ERMENSTENDA, Henrici Comitis Luxemburgensis filia & herede, Walerami Ducis Limburgensis posteriore coniuge, eorumque liberis supra lib. I. cap. 95. pag. 220. egimus: ex quibus GERARDVS, dominus de Durbuy, tres filias reliquit, N. Comiti de Grand-pré in Campania, Ermengardem Gerardo domino de Blanckenheim in Eifflia, & Margaritam Ioanni domino de Gistelle in Flandria, nuptas.

N. Comes Grandis-prati, ex filia Gerardi de Durbuy, sustulit inter alios liberos N. Comitem Grandis-prati, & Gerardum cognomento Grandi-pratanum, dominum de Houfaliſe & Rousſy. Quod posterius dominium an. 1304. idem Gerardus obtinuit, per sententiam arbitriam, à Beatrice Auennensi, Henrici Comitis Luxemburgensis, in prælio Worngano an. 1288. cæsi vidua, pronuntiatam.

LINEYVM vulgo *Liney* vel *Ligney*, est in ditione Barrensi. Rovsy in Campania aut tractu Rethelensi.

MARCIVILLA, vulgo *Mariville*, & *Arencey*, *Arency*, sunt in Ducatu Luxemburgensi.

ELISABETH) Henrici Comitis Barrensis soror, maritum habuit Waleramum, Walerami Ducis Limburgensis ex priore coniuge filium, Henrici IV. Duci Limburgensis fratrem: quem in diplomatica iam recitato Ermensinda filium suum vocat, sed impropriè: sed quod esset Walerami mariti, sui filius ex priore coniuge. Obierunt Waleramus & Elisabeth sine prole.

B b b 3 CAPVT

CAPVT LXXX.

*Henricus Marchio Namurcensis & Viennæ Comes, eiusq; coniux
Margarita, iuxta legatum ac mandatum fratris sui Philip-
pi II. Marchionis Namurcensis, fundant Abbatiam
Grandi-pratensem, quæ est monachorum ord.
Cistertiensis, an. 1231.*

HENRICVS, Marchio Namucensis & Viennæ Comes, & MARGARETA Marchionissa & Comitissa, vxor eius, in perpetuum. Vniuersitati vestræ notum facimus, quod cum nos per commutationem recepissemus ab Abbe & conuentu de Villari, Cistertiensis ordinis, Leodiensis diœcesis, omnes possessiones, quas eadem Abbatia habebat apud Grande-pratum, & apud Troncourt, & apud Burchis, cum suis appenditijs, & omne quod habebat ex illa parte Mosa inter Dionantum & Hoyum & Molam; Nos easdem possessiones totaliter, liberè & absolutè, in allodium perpetuum & liberum, contulimus Abbatia de Grandi prato, quam fundauimus secundum legatum carissimi prædecessoris ac fratris nostri PHILIPPI, bonæ memorie, quondam Marchionis Namucensis, & pro animabus aliorum antecessorum nostrorum, & nostris, in remedium peccatorum.

1231. Actum anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo primo, mense Augusto.

*Aliud diploma eiusdem Henrici Marchionis Namurcensis,
eiusq; coniugis Margarita.*

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. HENRICVS, Marchio Namucensis & Comes Viennæ, & MARGARETA Marchionissa & Comitissa, vxor eius, vniuersis Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, presentem paginam inspecturis, eternam in Domino salutem.

Ad vniuersitatis vestræ notitiam volumus peruenire, quod nos fratribus de VILLARI, Cistertiensis ordinis, Leodiensis diœcesis, per

per commutationem in fundo & vellere contulimus quadringenta bonaria siluae, in perpetuum allodium liberè possidenda, nihil omnino iuris in his, nihil heredibus nostris ad præsens vel in posterum reseruantes, præter

Sciendum etiam, quod dictas possessiones eisdem fratribus commutauimus, pro possessionibus, quas ipsi ultra Mosam tenebant apud Troncourt & Grande-pratum, cum suis appenditijs, & pro eo quocumque habebant inter Dinantum & Hoyum & Mosam.

Quæ nobis commutata integraliter contulimus ad usus Abbatiae GRANDIS-PRATI, pro remedio animæ carissimi prædecessoris ac fratris nostri PHILIPPI, Marchionis Namucensis, qui extremo testamento suo diuinitus inspiratus, Abbatiam construendam ordinavit, necnon pro remedio animarum nostrarum, & omnium prædecessorum nostrorum.

Vt igitur hæc rata & inconulsa permaneant, præsentem paginam sigillorum nostrorum munimine duximus roborandam.

Actum anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo primo, 1231.
mense Augusto.

N O T A T I O N E S.

VIENNA) seu potius Vianda, opidum ac feudum Ducatus Luxemburgensis, ab aliquot seculis potentes Comites habuit. Exstant diplomata varia, nominatum an. 1269. & 1270. à Philippo Comite Viennensi signata, quæ Paulus Cronendalius, in Historia ms. Namurcensi, se vidisse teatatur cum hac inscriptione, Sigillum Philippi Comitis Vienensis. In ipso sigillo visitur effigies equitis armati, in cuius scuto est insigne leonis cum linea interfiecente.

Philippo, nisi fallor, successor GODEFRIDVS Comes Viennæ & dominus Grimbergæ, cui uxor fuit Luitgardis domina de Ligny, Lets, & Fleris, an. 1318. adhuc superstes.

Godefridus ex Luitgarde filium primogenitum reliquit Philipum, qui ab Henrico Comite Luxemburgensi, post Imperatore, an. 1306. autum castrum Viennense in feudum accepit.

Circa an. 1327. Godefridus, Godefredi filius, Comitatum Vienensem possedit, quorum alter, nisi fallor, duxit filiam Ioannis I. Comitis Namurcensis, & an. 1337. in Cypro obiit.

Anno

Anno 1380. Simon, Waltami Comitis Spanhemensis filius; Spanhemensem & Viennensem Comitatum simul tenuit. Demum Viandæ Comitatus, cum Baronia Grimbergensi pro parte, ad familiam Nassauiam est deuolutus, cùm Otho Nassauius, Henrici filius, ex stirpe Dillenburgica, duxit Adelheiden, dicti Comitatus Viandenensis, Baronia S. Viti & Grimbergæ pro parte heredem. Obiit Otho an. 1369. relichto filio Ioanne, qui fuit pater Engelberti Nassauij, Bredæ dominione yxoris Ioannæ Polanæ: cuius posteritatem supra lib. 1. cap. 93. reperties.

Viandensis porrò Comitatus pro insigni habet scutum rubrum cùm linea candida intersecante, quale etiam est insigne Archiducatus Austriae & Comitatus Vrbisque Louaniensis. Quod quidem insigne in scuto etiamnum præfert Princeps Arausionensis ex gente Nassauia.

Vt ad Margaritam Namurensem Comitissam redeat oratio, de ipsa loquitur Capitulum Significavit, de Rescriptis, cuius hæc sunt verba: Significavit nobis Comitissa Namurensem, quod cùm mortuo Comite fratre suo, ipsa in eius successerit Comitatu, G. & B. per quasdam litteras Apostolicas, per Tullensem Episcopum & quasdam alios clericos & laicos impetratas, eam coram iudicibus, ad quos obtentæ fuerant, super quadam summa pecunia, quam eidem fratri suo mutuasse dicebant, per generalem clausulam conuenerunt.

Capitulum istud desumptum est ex Decretali Gregorij IX. Papæ (qui ab an. 1227. usque ad an. 1241. præfuit) epistola, ad Abbatem S. Iacobi Leodiensis missa.

C A P V T LXXXI.

Ferdinandus Portugalensis, & Thomas Sabaudus, Flandria Comites, fundationem ac dotationem Abbatæ Grandi-praten sis laudant & approbant an. 1232. & 1238.

FERANDVS, Flandriæ & Hannoniæ Comes, & IOANNA UXOR eius, Flandriæ & Hannoniæ Comitissa, omnibus præsentes litteras inspecturis salutem.

Nouerint vniuersi, quod nos excambium quadringentorum boniorum

niorum nemoris, trecentorum videlicet & xxix. & vnius iornalis de Marlaigne, in loco qui dicitur *Ofan*, & septuaginta, uno iornale minus, in *Osteng*, quod HENRICVS Marchio Namucensis & Comes Viennæ, & MARGARETA vxor eius, fecerunt Abbatii & Conuentui, pro curte quæ Grande-pratum appellatur, cum appenditijs suis, quam habebant in Namucenli, vbi Abbatia Cisterciensis ordinis, secundum legatum pia recordationis Philippi Marchionis Namucensis, fundata est, laudamus & approbamus.

Datum an. Domini millesimo ducentesimo tricesimo secundo. 1232.

Thome Sabaudi, Flandriae Comitis, eiusq; coniugis Ioanne Constantinopolitanae diploma.

VNIVERSIS Christi fidelibus præsens scriptum inspecturis THOMAS, Flandrensis & Hannoniensis Comes, & IOANNA COMMUNISSA, vxor eius, cognoscere veritatem.

Cum pia recordationis PHILIPPVS, Comes Namucensis, in ultima voluntate Abbatiam Cisterciensis ordinis in Comitatu suo Namucensi, pro remedio animæ suæ, & prædecessorum suorum in animabus, fundari statuerit, & eadem Abbatia ab Henrico Comite Viennenſi & Margareta, vxore eius, sorore bonæ memorie Philippi Comitis prædicti, tunc terram Namucensem possidentibus, creata sit & fundata, & annui redditus, quos idem Philippus Comes, ad fundationem ipsius Abbatiae, in elemosynam contulerat, ab eisdem Henrico Comite & Margareta, vxore eius, tam in terra Namucensi quam Flandrensi, quæ à nobis tenentur, in feudum dati sint & assignati,

Et postmodum supradictæ Abbatiae, quæ GRANDE-PRATVM vocata est, fundatio cum appenditijs suis, & reddituum dictorum assignatio, & aliorum quæ præfatus Philippus Comes memoratæ Abbatiae de Grandi-prato donauit vel assignari præcepit, à viro illustri BALDVINO Imperij Romanæ & Namucensis herede, postquam supradicta terra tamquam legitimo heredi redditia sibi fuerat, & ab eo possessa, approbata, laudata sit & confirmata;

Nos eadem omnia, tamquam Domini superiores, concedimus, approbamus, laudamus & sigillorum nostrorum appensione confirmavimus. Datum anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo octavo. 1238.

C c c

CAPVT

C A P V T L X X X I I .

*Robertus cognomento Casletanus, Roberti Betunij Flandriæ Comitis filius, pretendit sibi deberi Comitatum Flandriæ,
anno 1322.*

CAROLVS, Deigratia, Francorum & Nuarre Rex, vniuersis preffentes litteras inspecturis salutem. Notum facimus, quod cum ROBERTVS de Flandria, miles, filius defuncti Roberti quondam Comitis Flandriæ, tamquam proximior & vnicus superstes eius filius, ut dicebat, diceret se esse saifitum, per consuetudinem patriæ notoriam, qua dicitur, quod mortuus saifit viuum, de Comitatu & patria Flandriæ, &c. ex una parte, & MATTHÆVS de Lotharingia, miles, nomine & ratione Mathildis vxoris suæ, dominae de Floresces, filia dicti Comitis, & ipsa domina pro se;

Dicentes dictam dominam esse proximiorem in successione dicti Comitis; ex eo quia filia dicti Comitis, & quia dictus Robertus, & Ioanna domina de S. Gobano, soror ipsius, renuntiauerunt, & per iuramenta sua omni iuri successonis dicti Comitis Niuerensis, filij primogeniti dicti defuncti Comitis Flandriæ, &c. Dominæ verd de S. Gobano, filia dicti defuncti Comitis Flandriæ....

1322. Datum anno millesimo trecentesimo vicesimo secundo, die vicesima nona Junij.

N O T A T I O N E S.

Robertus cognomento Casletanus, Roberti Betunij Flandriæ Comitis filius iunior, pro sua portione hereditaria possedit Dunkercam, Grauelingam, Borburgum, Watines, Casletum, Bornhem, & Warneston, vbi & moriens an. 1331. sepeliri voluit. Ex Ioanna, Arturi Britanniae Ducis filia, vnicam reliquit filiam, Iolam, Henrico Comiti Barrensi nuptram. Opida ista postmodum per connubia ad familiam Luxemburgicam, ac demum Vindocinensem seu Borboniam sunt deuoluta; excepto Casleto, quod Philippus Bonus, ratione lytri pro Renato Lotharingiae Duce ad se retraxit, & Bornhemio, quod hodie possidet Petrus Coloma, Baro Bornhemiensis.

MATHILDE

MATHILDIS) domina de Florences, Floenges, seu Florinis,
quod est opidum diœcesis Leodicensis.

IOANNA) domina S. Gobani nupl̄it Enguerramo domino de
Coucy.

C A P V T L X X X I I I .

*Ioanna Constantinopolitana, Flandriæ & Hannonie Comitissa,
monasterium Dominicanorum in urbe Brugensi fundat
ac dotal, an. 1233.*

IOANNA, Flandriæ & Hannonie Comitissa, omnibus præsen-
tes litteras inspecturis salutem.

Nouerint vniuersi, quod pro remedio animæ domini & mariti
nostrí carissimi FERDINANDI, felicis memorie, quondam Flandriæ
& Hannonie Comitis, ac pro nostra salute, diligenter & sollicitè
laborauimus, ut ad ampliandum cultum Domini, & ad profectum
populi, domus Fratrum ordinis Prædicatorum construatur in
Brugis.

Et ad incohationem eiusdem domus de pecunia, quam idem do-
minus Comes in testamento suo assignauit, de consilio & volunta-
te eiusdem executorum testamenti, trecentas libras dabimus, ac
de nostro proprio, Fratribus ibidem mansuris, ad commodum ip-
orum, ædificia quædam construi faciemus.

Rogamusque eosdem venerabiles & carissimos Fratres, quate-
nus orationibus suis pro ipso domino Comite & pro nobis deuotè
ac diligenter orate studeant, tamquam pro fundatoribus sui loci,
& in prædicationibus suis ad populum orationes faciant fieri spe-
ciales.

Nos ergo erga eosdem Fratres semper esse volumus obligatae
specialiter, omnesque homines & fideles nostros affectuosè roga-
mus, vt sàpè dictos Fratres velint diligere, & in suis negotijs ac
necessitatibus adiuuare: scientes quod quidquid ipsis facient, re-
putabimus nobis factum.

Datum Insulæ, feria quinta post Epiphaniam, anno Do mini 1233.
millesimo ducentesimo tricesimo tertio.

C c c 2

NOTA,

NOTATIO.

Dotem monasterij Brugensis iam dicti auxit MARGARITA, Ioannis soror & heres, amplissimo ædificio pro infirmis, à fundamentis excitato, cum facello adiuncto: quæ etiamnum exstant. In isto cœnobio, infra annorum XXXII. spatium, bis Capitulum generale, videlicet an. 1336. & 1369. fuit celebratum: quod nusquam alibi factum leges, si Romam exceperis.

Ceterum in Belgicis prouincijs conuentus isti Dominicanorum hodie numerantur: Louaniensis, Antuerpiensis cum Vicariatu Lirano, Siluiducensis, Bruxellensis cum Vicariatu Vifordiano, Traiectenfis ad Mosam cum Vicariatu Sittardiano, Gandensis, Brugensis, Ippensis, Winoci-bergensis, Insulensis cum Vicariatu Lileiensi, Duacensis, Tornacensis, Atrebatenfis, Audomaropolitanus, Valentianensis, Montensis, Braniensis, & Luxeburgenfis.

Dominicanarum monialium sunt ista apud Belgas cœnobia: Vallis-Ducifæ, vulgo *Audergem*, primo lapide à Bruxella; Vallis Angelorum, olim extra, nunc in vrbe Brugensi; Abbatiola, vulgo *P'Abbiette*, in vrbe Insulensi; Tegularia, vernaculè *La Thulloye*, ad muros vrbis Atrebatenfis; Bellomontanum cœnobium in vrbe Valentianensi, Audomaropolitanum, Tamisiense in Wasia, Duacense, Antuerpiense & Ruremundense.

CAPUT LXXXIV.

Balduinus, heres Imperij Constantinopolitani, Marchio Namucensis & dominus Curtiniaci, prædia ac filias ab Henrico fratre attributas monasterio Grandi-pratensi, confirmat an. 1237.

NOs BALDVINVS, heres Imperij Romanie, Comes & Marchio Namucensis, & dominus Curtiniaci, notum facio omnibus præsentes litteras inspecturis, quod nos fratribus de Villari, Cisterciensis ordinis, Leodiensis diœcesis, pro commutatione à nobis ipsis facta, super possessionibus, quas ipsi ultra Mosam tenebant apud Troncourt, Burchis & Grande-pratum, cum suis appenditijs, & pro

pro eo quod habebant inter Dionantum & Hoyum & Mosam, damus & concedimus quadringenta bonaria filiae, in perpetuum alodium liberè possidenda; nihil omnino iuris in ijs, nihil hereditibus nostris, ad præsens vel in posterum, reseruantes, præter venatum . . .

Datum Valencenis anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo septimo mense Aprili. 1237.

NOTATIONES.

Ludouico Francorum Rege, & Ioanna Flandriæ Comitissa, agentibus, Comitatus Namurcensis, & varia prædia in regno Franciæ sita, Balduino Imp. Constantinopolitano (cuius soror Margarita annis aliquot dictum Comitatum possederat) an. 1237. est restitutus: ut ex ms. quodam codice apud Cronentalium legitur: Anno 1237. Margarita, Marchionissa Namucensis & Comitissa Vienæ, castrum Namucense inuita deseruit, & Balduinus Imp. Constantinopolitanus successit, sed non sine magna impensa sanguinis Namucensis. Vnde sunt versus sequentes:

Anno milleno septeno tricesimoque

Cum bis centeno, subiit castrum Namucense
Balduinus Comes, in festiuitatibus Odę.

CVRTINIACVM) Gallicè *Courtenay*, in Gasconia; vt Guil. Tyrius lib. 10. de bello sacro cap. 24. tradit. De familię Curtiniacensis proceribus fusè agunt Sammarthani fratres in Genealogia Regum Franciæ.

CAPVT LXXXV.

Pactio inter Henricum II. Loth. Brabantieq; Ducem, & Walterum Bertoldum Mechliniæ dominum, inita an. 1238.

IN nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Hec est forma pacis & compositionis inter illustrem Ducem Brabantie & nobilem virum, dominum Walterum BERTHOVT,

Videlicet, quod omnes naues, pisces deferentes ante Antuerpiam ad Mechliniam, liberè poterunt pertransire, persoluto tamen telonio,

Ccc 3

telonio, si quo tenentur. Si quæ verò naues alias merces, vel alia bona portauerint, cum eo iure seruato, transibunt ante Antwerpiam, quò hactenus transfire consueuerunt. Quoscunque verò pisces illi de Antwerpia emerint ex altera parte de Romersvvale, vel ceperint vbiunque, Mechliniè vendere poterunt.

Itaque nec ipsi, nec ementes contra ipsos Antwerpenses, telonium soluere de ipsis piscibus tenebuntur. Quicumque autem de Antwerpia ex hac parte Romersvvale pisces emerint, & eosdem pisces apud Mechliniam vendiderint, ementes contra ipsos tale ius soluere debent, quale ius hactenus soluere consueuerunt.

Si quis etiam aliquem de Antwerpia inculpauerit, de eo quod pisces emerit ex hac parte de Romersvvale, Antwerpensis quisque super hoc, proprio juramento, se poterit expurgare.

Item Antwerpenses facient Mechliniensibus id quod de iure tenentur facere eisdem, & Mechlinienses Antwerpensisibus vice versa facient id quod de iure facere tenentur eisdem.

Item omne allodium quod possidet dominus Walterus Berthout, & quod homines sui ab ipso tenent in feodum in terra Brabantæ, in Marchionatu de Antwerpia, vel aliàs in dominio Ducis, præter villam de Kini, portauit in manus Ducis & resignauit, & ab ipso Duce recepit in feodum iam dictum allodium, salua eidem Waltero Berthout sua iustitia alta & inferiori. Et quia dictus Walterus Berthout in manus domini Ducis præfatum allodium resignauit, recompensationem faciet ipsi prædictus Dux, secundum dictum domini Arnoldi de Wesemale, & domini Henrici de Uttenhouen.

In nemore verò, quod Wauera dicitur, dominus Dux habet venationem, quando sibi placuerit. Et per hæc nihilominus dictus Walterus Berthout & successores sui, & homines sui, qui aliquas partes dicti nemoris ab ipso tenent, & successores hominum suorum de dicto nemore, arboribus, & fundo seu feris dicti nemoris voluntates suas plenariè facere possunt, absque aliqua contradictione, vendere si velint, & in usus suos quoscunque conuertere.

Insuper omnia iudicia alta & inferiora, parua & maxima, quæ supradictus dominus Walterus Berthout tenet, & quæ homines sui tenent ab ipso, idem Walterus Berthout, & sui successores à domino Duce & suis successoribus in feodum tenent, & tenebunt iure perpetuo.

Et

Et super præmissis iudicijs idem Dux prædicto Waltero Berthout veram & firmam vvarandiam præstabit & stabilem. Et litteras suas patentes super hoc exhibebit eidem Waltero Berthout, & litteras testimoniales hominum suorum, videlicet Ducis de Limborch, Comitis Gelriæ, Comitis de Lon, domini Walerami de Limborch & aliorum, vsque adeò quod sufficere debeat.

Præterea chartas, priuilegia & munimenta vniuersa, quæ idem Walterus Berthout habet ab ipso, seu ab antecessoribus suis, à Romanis Imperatoribus siue Regibus obtenta, apud Haffligem per decem annos à domino dicto Waltero deponentur, sub testimonio competenti.

Si verò prædictam vvarandiam idem Dux infra terminum fecerit ante dictum, transactis decem annis, idem Dux de dictis priuilegijs, chartis & munimentis suam faciet voluntatem.

Quod si infra eundem terminum controuersia moueat dicto Waltero Berthout, ad cuius defensionem chartis, priuilegijs & munimentis indigeat supradictis, Abbas Haffligemensis & Conuentus ea dicto Waltero Berthout restituent; & super hoc litteras suas eidem Waltero Berthout dabunt patentes.

Insuper feodium, quod dictus Walterus Berthout hactenus à domino Duce tenuit, allodium supradictum, iustitiam seu iudicia prædicta, necnon deductiones nauium, prout supra dictum est, idem Walterus Berthout, & sui successores à domino Duce & suis successoribus in vnum feodium iure perpetuo tenebunt.

Super omnibus autem diuisionibus, distinctionibus vel constitutionibus inter dominum Ducem & Walterum Berthout prædictos faciendis, compromiserunt ipsi fide præstata corporali in Walterum Cluening, Carolum de Arschot ex parte ipsius Ducis; & Henricum de Heisebruch, & Wilhelmm de Echoue, milites ex parte domini Walteri Berthout. Ita quod ipsi inquisita veritate sub iuramento suo, & fidei interpositione de promissis ius suum præbeant vnicuique iuxta optimam sui conscientiam.

Si quem autem arbitrorum iusto impedimentoo contigerit esse detentum, qui non possit decisioni negotij interesse, aliis loco sui, ab eo, qui illum elegit, substituetur. Si dicti arbitri in aliquo discordauerint, assument dominum GODFRIDVM de Parvveys, cuius dictum & ordinationem dominus Dux & Walterus Berthout super præmissis in omnibus obseruabunt.

Cæterum

Ceterum si dictus Dominus Godefridus de Parvveys impedimento iusto & legitimo detenus, prædictis interesse non possit, dominus OTTO Comes Gelriæ substituet alium loco sui. Prædicti vero arbitri dictum & ordinationem infra Dominicam proximam Palmarum, secundum formam superius expressam pronuntiabunt. Et si dicti arbitri in dicto suo fuerint discordes, prædictus Godefridus de Parvveys super ipsa discordia dictum suum & ordinacionem suam infra octauas Paschæ proximas pronuntiabit.

Sanè notum sit vniuersis, quod prædictus Dux consanguineam suam MARIAM, primogenitam sororis sue Comitissæ de Aluernia, WALTERO Berthout, primogenito Walteri Berthout prædicti, tradet in uxorem legitimam; & cum ea dabit eidem Waltero mille libras Flandrenses annuatim percipiendas in certis bonis & firmis, prædicto filio suo super hoc assignandis, quoadusque prædictas mille libras persoluerit eidem.

Prædictus vero Walterus Berthout dabit dicto filio suo quingen-
tas libras Flandrenses annuatim percipiendas in certis bonis & fir-
mis, prædicto filio suo super hoc assignandis; ea stabilitate, quod
prædicta Maria, quidquid iuris nobilis matrona in bonis mariti sui,
secundum consuetudinem & legem Brabantie obtinere consuevit,
in bonis prædictis obtinebit.

Vt autem præmissa omnia à nobis Waltero Berthout prædicto,
& nostris successoribus firmiter & inuiolabiliter obseruentur, ap-
pensione sigilli nostri præsentem chartulam fecimus roborari.

1238. Actum & datum apud Louanium in crastino B. Andreæ Apostoli anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo octauo.

*VValterus Bertoldus, Aduocatus & dominus opidi Mechliniensis,
Henrico II. Brab. Duci dat fideiussores super pactione
paulò antè recitata.*

WALTERVS Berthout, Aduocatus in Mechlinia, vniuersis præsentes litteras inspecturis salutem æternam. Nouerint vniuersi, quod nos formam & compositionem inter illum Du-
cem Brabantie & nos, in crastino B. Andreæ Apostoli conceptam,
& sigillo nostro munitam tenemur eidem inuiolabiliter obserua-
re; hoc idem ipsi, sub interpositione fidei nostræ, & sub pena
duorum

duorum millium marcharum Colonensium promittendo.

Nos autem, si caußæ in dicta forma contentæ, infra octauas Pascæ proximò aduenturi non fuerint adimpletæ, & hoc per nos, vel per arbitros à nobis electos fletur, apud Louanium veniemus, exinde nullatenus recessuri, antequam eidem domino Duci completa sint ea quæ continentur in forma seu compositione predicta, vel quousque sibi à nobis de dicta pœna, sub fide nostra missa, fuerit plenarie satisfactum.

Si autem aliquid de præmissis nos contigerit non seruare, fideiussores super hoc ipso domino Duci dedimus, vide licet dominum Ottone Comitem de Gelria, dominum Godefridum de Parvveys, dominum Arnoldum de Diest, dominum Arnoldum de Wesemalle, Henricum de Heisebruch, Wilhelnum de Echoue, Nicolaum filium domini Peregrini militis.

Qui omnes præfato domino Duci, fide interposita, similiter spoponderunt, quod nisi nos omnia prædicta firmiter tenuerimus, ipsi apud Louanium venient, moratur ibidem, donec dicto domino Duci satisfactum fuerit de præmissis, prout superius est expressum.

Vt autem vniuersa supradicta inuiolabiliter obseruentur, nos sigillum nostrum, vna cum sigillis fideiussorum prædictorum, præsentibus litteris apposuimus. Actum & datum in crastino B. Andreæ Apostoli, anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo octauo. 1238.

N O T A T I O .

WALTERVS Bertautius, Mechliniæ dominus, an. 1231. Franciscanorum monasterium condidit: vbi & an. 1243. moriens sepeliri voluit, cum uxore N. Cononis Britannicæ Comitis filia. Berautiorum seu Bertoldorum stemma vide supra lib. i. cap. 89.

C A P V T L X X X V I .

Balduin heres Imperij Constantinopolitani, & Comes Namurensis, Constantinopolim cogitans, CLX. bonaria silua vendit monachis Grandi-pratensibus, an. 1239.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. BALDVINVS heres Imperij Romanicæ, & Comes Namucensis, omnibus hoc scri-
D d d ptum

pium inspecturis æternam in Domino salutem.

Quoniam humanæ conditionis inconstantia hoc sibi retinet, ut
mentibus hominum de die in diem subrepens obliuio frequentius
inualefcat; ad eius remedium prouisum est, ut ea quæ solenniter &
bona fide gesta sunt, in perpetuum durabilia permaneant, scripto
commendentur memoriali.

Inde est, quod ad fidelem vniuersitatem dignum duximus per-
uenire, quod nos Constantinopolim, pro negotio Crucis & sanctæ
Ecclesiæ, de præcepto domini Papæ, profecturi, domui de Grandi-
prato, Cisteriensis ordinis, Leodiensis diœcesis (cuius fundator
piz recordationis exstitit Philippus, frater noster, quondam Co-
mes Namucensis) vendidimus bene ac legitimè centum & sex-
ginta nemoris, cum fundo suo, bonaria, quod nemus vulgo dici-
tur *Itefol*, cuius pars est Grecorum iuxta Warex in terra Namu-
censi;

Idem nemus cum fundo suo in allodium liberè & absolute, pro
remedio animæ nostræ & prædecessorum nostrorum, in dictam
domum transferentes, ut eiusdem domus paupertatem in aliquo
subleuaremus; maximè cum nos & nostros ipsi domui profitea-
mur esse obligatos: promittentes quod nos eidem domui super di-
cto nemore garandiam præstabimus, & eamdem domum contra
omnes defendemus.

Hoc autem de consensu illustris domini Comitis & serenæ Co-
mitissæ Flandriæ & Hannoniæ, factum est, de quibus mouet Comi-
tatus Namucensis.

Et ut ea quæ supra scripta sunt, à nobis & successoribus nostris
in perpetuum inuolata conseruentur, præsentis scripti paginam
sigilli nostri appensione duximus roborandam; omni iuris subfi-
diotam expresso quam exprimendo, pro nobis & nostris successo-
ribus, in hac parte tamquam Comes Namucensis renuntiantes.

1239. Actum anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo nono,
xiv. Kalendas Maij.

N O T A T I O N E S.

BALDVINVS Imp. Constantinopolitanus an. 1237. secundò venit
in Franciam ac Belgium, & biennio circiter hic substituit. Anno
1239. Constantinopolim reuersus, res Imperij Orientalis fortiter
admini-

administrauit: sed an. 1260. capta à Grēcis Constantinopoli (iuxta Panvinij calculum) in Galliam redijt, vbi & circa an. 1279. obiit.

Vxorem habuit Balduinus MARTIAM, Ioannis de Brenna, Regis Hierosolymitani, filiam.

Varijs demum bellis pro Comitatu Namurcensi exortis, idem Balduinus, consentiente Philippo filio suo, & hortante S. Ludouico Gallæ Rege, dictum Comitatum Guidoni Flandriæ Comiti an. 1262. vendidit. Et ad controuersiam omnem sponendam, Guido Isabellam, Henrici Blondi Comitis Luxemburgensis filiam, Henricus Blondi filius Beatricem, Balduini Auennij, domini Belli-montis filiam, Ioannes Auennius Hannoniæ Comes Philippam, Blondi eiusdem filiam, sibi matrimonij iunxerunt.

C A P V T L X X X V I I .

Testamentum Machtildis, Comitissæ Boloniensis (que Alfonsam Portugalensem maritum habuit) an. 1241. scriptum.

IN nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, amen. Ego MACHTILDIS, Comitissa Boloniæ, volens ordinare de bonis meis testamentum, siue per quamcumque meam ultimam voluntatem disponere, statuo de bonis meis in hunc modum.

In primis do & lego carissimo marito meo ALFONSO, filio illustris Regis Portugalæ, Comiti scilicet Boloniæ, viginti millia librarum Parisiensium, soluendarum eidem, vel eius mandato, per quinque annos, à die mei obitus computandos, videlicet quolibet anno quattuor millia librarum Parisiensium, per quatuor terminos inferiùs annotatos, usque ad p̄fataam solutionem totius summae predictæ.

Dono etiam ei & lego omne ius, & omnem actionem, & totam partem, quæcumque mihi competit aut competere poterit ullo modo in quatuor millibus librarum Parisiensium, quæ dicto Comiti, & mihi debentur, ratione cuiusdam compositionis factæ inter ipsum & Comitem & Comitissam Flandrensem.

Et promisi, & adhuc promitto Comiti Boloniensi, marito meo prædicto, quod istud donum & legatum in perpetuum obseruabo.

D d d 2 ncc

nec illud in aliquo reuocabo in perpetuum vlo modo.

Et quantum ad donum & legatum prædictum, ipsum Comitem, maritum meum, & reuerendum patrem Robertum Episcopum Beluacensem, & carissimum consanguineum meum dominum MATTHÆVM de Tria constituo executores meos.

Volo etiam & statuo, quod supra dicta omnia & quodlibet de prædictis, ita firma & stabilia perseuerent, quod per aliquod testamentum meum vel per aliquam voluntatem meam, quæ huc usque fecerim vel faciam in futurum, in scriptis vel sine scriptis, nullatenus reuocentur

Omnia autem supradicta & singula promisi, & promitto me firmiter seruaturam, & contra in aliquo non venturam in posterum

GVALTERVS de Castellione, & ego IOANNA eius vxor, quorum sigilla inferius sunt appensa, approbamus, volumus & concedimus, & promisimus & promittimus Comiti Boloniae supradicto, quod contra prædicta vel aliquod prædictorum nullo tempore veniemus

1241. Actum anno millesimo ducentesimo quadragesimo primo, mense Martio.

N O T A T I O .

Vasconcellus in Historia Regum Lusitanie, Quercetanus in Historia Castillionæ, & alij rerum Gallicarum scriptores de his rebus fusè tractant. Ceterum Machtildis fuit filia Eustathij illo nomine quarti Comitis Boloniensis, & obiit sine prole.

C A P V T LXXXVIII.

Hugo Castellanus Gandensis, & uxoris eius Maria, ann. 1243. ad usum ecclesie Antuerpiensis, suos seruulis conditionis in VVlesia homines manumittunt, sub annuo censu capitali.

Ego Hugo Castellanus Gandensis, & MARIA vxor mea, notum facimus vniuersis litteras has visuris, quod nos ad ecclesiam S. Mariæ in Antwerpia personaliter accedentes, diuinæ pietatis intuitu, ac in remissionem peccatorum nostrorum, per sententiam hominum

hominum nostrorum , & cum debita solennitate , ad usum eiusdem ecclesiae , perpetuo manumisimus homines nostros de Wasia , seruili conditione nobis addictos (quorum nomina sunt inferius adnotata) cum omni posteritate ipsorum , tam praesenti quam futura , absoluentes eos ab omni seruili conditione , qua nobis tenebantur adstricti .

Manumissi autem singuli , in praesentia nostra , obtulerunt semetiplos dictae ecclesiae , cum omni posteritate sua , ad duos denarios Flandrenses soluendos annuatim in Assumptione B. Mariæ , nomine census capitalis ; & quando nubunt sex denarios Flandrenses , duodecim vero quando moriuntur . Testes ,

Dominus Ioannes de Gandaio , miles ,
 Sigerus frater noster , Colinus de Varendonc ,
 Ægidius Bhuc , Balduinus de Spoiden ,
 Sigerus de Roeden , Homines nostri ,
 Ioannes Egulphi , Ioannes de Ordren ,
 Folpertus Cantor , Nicolaus de Molendino ,
 Godescalcus Canonicus , Sacerdotes ,
 Magistri , Henricus Noze , Nicolaus Canonicus Diaconus ,
 Henricus de Bella , Nicolaus Romanus , Canonicus subdiaconus , & quam plures alij , tam clerici quam laici .

In testimonium præmissorum contulimus litteras nostras tam ecclesiae quam manumissis supradictis , appensione sigilli nostri corroboratas .

Actum Antwerpiae in ecclesia B. Mariæ , anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo tertio , IV. Kal. Iunij .

1243.

Nomina manumissorum sunt haec .

In MELSELE Willelmus , Ioannes , Theodericus , Elisabeth de Drische , fratres & soror . Walterus Calevwart de Beke . Helevvigis , Gertrudis , Margareta , sorores eius . Magtildis filia Helevvigis . Filii sororis Calevwart , Willelmus , Ghiselbertus , Lisana . Helevvigis de Drisce : filii eius Rodulphus , Sigerus , Ioannes , Gertrudis , Adalisia . Arnoldus Sceue , Magtildis soror eius , Sigerus de Rode , Margareta : filii filiæ Margaretæ Soelman , Henricus , Ebin & soror eorum . Onulphus , Margareta , Helevvigis , Clementia , sorores . Sigerus Margaretæ filius . Maria , Magtildis , filiæ Margaretæ , Gertrudis , Beatrix , filiæ Hamiers .

D d d 3

Et

Et in SVINDRECHT Willelmus, Michael, Sigerus de Molendino, Eliana eorum soror, Sigerus, Henricus, Balduinus, filij Geila de Scotsele, Margareta eiusdem filia, Walterus de Piro, Bernart, Arnoldus fratres.

In CRVDRKE Amelbergis, & ipsius filij. In V RASENEN Adelisa cum sua posteritate, Balduinus, Gerlindus filius Margareta, Helevvidis, Geila, sorores eius. Adalisa Gocelini Sceuels filia. Helevvigis ultra Acker, Henricus & Balduinus.

Isti à Castellano Gandensi manumissi se obtulerunt ecclesiæ B. Mariae in Antwerpia, Sigerus Wade, Balduinus, Willelmus, fratres filii sororum eius.

N O T A T I O .

Hvgo Castellanus Gandensis fratrem habuit VILLANVM, dominum de Bornhem: à quo stirpem suam trahit Gandauiæ Villanorum familia, quæ Comitatum Isegemij, aliaque prædia plurima etiamnum in Flandria possidet, vulgo *Villain dicit de Gant*.

Idem Hugo vxorem duxit MARIAM, filiam Rasonis de Gauere, dicti de Lidekercke, & ex ea vnicā filiam sustulit MARIAM, Castellanię Gandensis heredem, Gerardo domino de Sottegem nuptam.

Gerardi Sottegemij & Mariae Gandauię filius Hvgo, Castellanus Gandensis, & dominus de Sottegem, filiam heredem reliquit ISABELLA, quæ nupsit Hugoni domino de Antoin prope Tornacum.

Hugonis Antoniani & Isabellæ Sottegemię filia & heres ISABELLA, Castellana Gandensis, domina de Antoin & Sottegem, primūm nupsit Henrico à Louanio, post Alfonso de la Cerda, ex Regum Castellæ & Legionis familia oriundo; sed ex neutro problem genuit. Tertiò nupsit Ioanni de Melun: quæ familia, præter Principatum de Espinoy, hodieq; Castellaniam Gändensem possidet. Isabellæ huius epitaphium hodieque legitur in Antoniensi Canonorum basilica; quod Latinè ex Gallico redditum, sic sonat: *Hic sita est Isabella domina de Antoin, Espinoy, Sottenghien, & Castellana Gandensis, olim vxor Henrici de Louanio, post Alfonsi de Hispania, ac demum domini Ioannis Vicecomitis de Melun, Camerarij Franciæ, domini de Blangis: quæ domina obiit in festo S. Nicolai an. 1354.*

CAPVT

CAPVT LXXXIX.

Henricus IV. Dux Limburgensis, eiusq; vxor Cunigardis, Comitissa Montensis seu Bergensis ad Rhenum, beneficium conferunt monialibus ord. Cisterciensis, in Roteri-monte degentibus, an. 1244.

HENRICVS Dux de Lemburg Comes de Monte, & KVNIGAR-DIS Ducissa & Comitissa ibidem, præsentium inspecto-ribus notum facimus, quod sororibus de Roberti-monte, pro nostrarum & successorum nostrorum remedij animarum, quolibet anno, dum glandes in nostris nemoribus creuerunt, quinquaginta porcos.... Datum anno millesimo ducentesimo quadragesimo quar-to, Dominica post Matthæi Apostoli.

NOTATIO.

CVNIGARDIS) filia & heres Adolphi Comitis Montensis seu Bergensis ad Rhenum, maritum habuit Waleram IV. Duxem Limburgensem: de quo supra lib. 1. cap. 88. egimus, non expresso Cunigardis nomine, quod nos tunc adhuc latebat. De Roberti-monte vide item supra lib. 2.

*ut h. dicit
Henricus IV.*

CAPVT XC.

Henricus, Breda dominus, ius patronatus & altaria ecclesiistarum de Schoten & Merxem Canonicis Antuerpiensibus an. 1267. donat; Nicolao Episcopo Cameracensi probante.

NICOLAVS Dei gratia Cameracensis Episcopus dilectis in Christo filijs, Capitulo ecclesiæ beatæ Mariæ in Antwerpia, salutem in Domino.

Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod nobilis vir HENRICVS, dominus de Breda, ius patronatus, & personatus

D I P L O M A T A

400

sonatus siue altaria ecclesiarum de *Scoten* & de *Mercsem*, cum pertinentijs suis, liberaliter donauit vobis, prò vt ad ipsum spectare noscebantur ab antiquo; litteras suas patentes vobis super hoc concedendo, quarum tenor talis est:

Vniuersis præsentes litteras vñisuris **HENRICVS**, dominus de Breda, salutem & noscere veritatem. Nouerit vniuersitas vestra, quod ego intuitu Dei, & ob reuerentiam & honorem gloriose virginis Mariæ, necnon & remedium animæ meæ, & progenitorum meorum, ius patronarus, & personatus siue altaria ecclesiarum de *Scoten* & de *Mercsem*, cum omni iure & pertinentijs suis, prò vt dictæ ecclesiæ ad me spectare noscuntur, viris venerabilibus, Capitulo ecclesiæ beatæ Mariæ in Antwerpia, confero liberaliter & assigno: saluo per omnia in dictis locis meo dominio temporali.

In cuius rei testimonium sigillum meum, vñà cum sigillis viorum nobilium, domini **WALTERI** dicti **BERTHAUT**, domini de Machlinia, & domini Rasonis, domini de Lidekerka, præsentibus est appensum.

Interfuerunt autem his viri nobiles, dominus Walterus Berthaut, dominus Rafo, prædicti, dominus Ægidius Berthaut, necnon & dominus Henricus de Boutersem, dominus Goscelinus Boc, & Arnoldus de Lira, milites, Godescalcus de Berbelghem, Nicolaus de Stene, & alij quam plures.

Aëtum & datum Sabbato ante Letare Ierusalem, anno Domini
1267. millesimo ducentesimo sexagesimo septimo.

Nos itaque deuotis tam vestris quam dicti nobilis precibus inclinati, perpendentes etiam pium & salubrem ipsius affectum; id quod per eum circa prædictas ecclesiæ factum est, ratum & gratum habentes, easdem vobis ecclesiæ cum pertinentijs suis, auctoritate ordinaria confirmamus.

Præterea quia, sicut intelleximus, reditus præbendarum ecclesiæ vestre tenues sunt & exiles, propter sectionem præbendarum factam ibidem; vobis indulgemus, vt fructus & prouentus, quos Personæ dictarum ecclesiarum ratione personatus hactenus percipere consueuerunt, conuertere possitis in usus vestros, ad quotidianas distributiones: vt eò feruentius & amplius Domino feruiatis.

Salua tamen Capellanis, qui pro tempore fuerint in iisdem ecclesijs instituendi . . . legitima & competenti fructuum portione.

In

In cuius rei testimonium præsentibus litteris sigillum nostrum duximus apponendum. Datum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo octauo, feria quarta post Inuocavit me.

1268.

N O T A T I O .

SCHOTEN) nunc Schooten, & Mercsem seu Merxem, sunt vici Antuerpiæ vicini. BREDA opidum est Brabantia, ad gentem Nassauiam pertinens, in quo sedem habet collegium X. Canonorum, præter XI. supernumerarium Canonicum, qui postea ceteris accessit. De nupera obsidione & expugnatione Bredana exstat elegans commentarius cognati & ciuiis nostri, R.P. Hermanni Hugonis, ex Societate Iesu, qui Ambrosio Spinola, Marchioni Barbacæ, à sacris est confessionibus.

*Stemma veterum dominorum Bredæ, & Godefridi
à Louanio.*

HENRICVS, Bredæ & Bergarum ad Zomam dominus, tres genuit liberos, Henricum, Godefridum & Isabellam.

Henricus Henrici filius, Bredæ dominus, cuius diploma iam recitauimus, ex Sophia Walteri Bertautij, Mechliniæ domini filia, prolem non reliquit.

Godefridus dominia de Merxem & Schoten prope Antuerpiam possedit; & putatur similiter sine liberis obiisse.

Isabella Arnoldo à Louanio, Godefridi Louaniensis filio, nupsit, & Henrico ac Godefrido fratribus sine prole defunctis, in dictione Bredana successit.

Ceterum Godefridus à Louanio, Henrici I. Brabantia Ducis filius legitimus, Bigardiæ minoris prope Bruxellam fundator, dominus de Herstal, & Gasbeke, filium aut nepotem, nisi fallor, reliquit Henricum aut Ioannem à Louanio, ex coniuge Maria, domina de Bassigny seu Bausignies in Francia.

Ioannes à Louanio (quem Tristanum nonnulli nuncupant) Herstalli & Gasbecæ dominus, an. 1324. obiit, in monasterio Bigardiæ minoris conditus.

E e e

CAPVT

C A P V T X C I.

Robertus Artesia Comes secundus, Roberti I. filius, possessiones monasterij Alciacensis an. 1269. in protectionem suscipit, tamquam Aduocatus illius loci.

ROBERTVS Comes Atrebatenſis vniuersis.... Fidelium antecessorum nostrorum vestigijs inharentes, pioque in Christo affectu desiderantes, ecclesias in nostro Comitatu & dominio fundatas, maximè eas, quæ sub nostræ aduocationis, nullo medio, protectione existunt, perpetua protectione muniri, & plena libertate gaudere, ne in posterum malignorum versutia suæ malignitatis arma, armis fidei & iustitiae reiectis, leuare possit aliquatenus in eisdem;

Iustis petitionibus venerabilis patris, fidelis nostri, Guilielmi, permissione diuina, ecclesiæ S. Siluini Alciacensis iuxta Hesdinum Abbatis, totiusque conuentus eiusdem loci, propensiùs inclinati, ob remedium animæ meæ, & carissimi genitoris nostri ROBERTI, quondam Comitis Atrebatenſis illustris, & omnium antecessorum nostrorum;

Ea omnia, quæ tempore præfato pia deuotione sibi collata fuerunt, & quæ acquisita usque in hodiernum diem, vel postea, de licentia nostra, vel mandato nostro, seu per litteras nostras acquisita erunt, tamquam defensor & Aduocatus eorumdem, & bonorum suorum, ubique existant, ipsorum exigentibus meritis & precibus, confirmamus eisdem; & nostra auctoritate, à nobis, heredibus & successoribus nostris obseruari volumus illæsa Ecclesiæ, ac inconuulta.

Ne autem præscripta subditorum nostrorum negligentia seu tergiuersatione minimè obseruentur, distictè præcipimus, & in mandato damus Baluis, Præpositis & alijs nostris in terra nostra quibuscumque seruientibus, qui pro tempore erunt, nostris seu heredum nostrorum aut successorum nostrorum temporibus, ut cum ab Abbe & conuentu prædictis, vel successoribus eorum, qui in ipsa S. Siluini ecclesia Domino famulabuntur, fuerint requisiti, omni dilatione postposita, omnia prædicta tamquam nostra propria studeant,

deant, rigore iustitiae, obseruare, & à perturbatoribus, si qui fuerint, per sonarum & rerum omnium, defendere, & sub protectione nostra & successorum nostrorum tuitione, sub fidelis, in quo nobis tenentur vel tenebuntur officio, fideliter consulere & tueri. Aetum Parisius anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo nono, 1269.
mense Martio.

N O T A T I O N E S.

Alciacum est insignis Benedictinorum Abbatia apud Artesios, haut procul ab Hesdinio opido, vulgo *Aulchy les moines*, Alciacum porro praedium, cum villa Sithiu, Adroaldus vir illustris, prole carens (de quo vide Cod. don. piarum cap. 3.) S. Bertino circa an. 654. tradidit, presente S. Audomaro Teruanensis urbis Episcopo. Cumque Bertinus cœpisset domum orationis apud Alciacum instituere, AD ALSQVARIVS vir nobilis, & eius coniux Aneglia basilicam Alciaci in honorem beatæ Mariæ & S. Petri Apostoli circa an. 680. construxerunt.

Ibidem eorum filia *SICCHEDIS*, deposita sæculari veste, Deo dicata, nonnullis sacratis virginibus præfuit, ante aduentum S. Siluini Episcopi; cuius defuncti tumulum Sicchedis memorata auro & geminis cælavit varijs. Danis postea in Galliam irruentibus, venerabiles S. Siluini reliquie ad Sithiu cænobium sunt translatae.

Exinde *ENGELRAMVS* Comes Hesdiniensis, ecclesiastum Alciacensem, ab exercitu Guermundi & Isembardi destructam, an. 1072. instaurauit, estque ibidem sepultus. Anno 1072. Heribertus Abbas Sithiensis primum in Alciaco Abbatem constituit *SUELGERVM*, monachum Sithiensem, viuente Drogone Morinensi Episcopo. Suelgero Geruinus, Geruino Norbertus, Noberto Odo, Odoni Simon, & sic alij ex ordine, omnes monachi Sithienses, successerunt.

Anno 1079. Engelratmus Comes confirmauit & ratificauit Abbatii, ac monachis S. Siluini Alciacensis, omnes donationes à se factas, approbante Huberto Morinorum Episcopo. Paschalis II. Papa, per bullam, cuius tale est initium, *Ad hoc nos disponente Domino &c.* Abbatis subrogationem seu electionem in monasterio S. Siluini, iuxta præteriti temporis morem, in dispositione Abbatis S. Bertini relinquendam decreuit.

Calixtus II. Papa ann. 1123. Eugenius III. Alexander III. Clemens

mens III. Cælestinus III. Innocentius III. Honorius III. & Gregorius IX. idem postea statuerunt. Innocentij III. Rescriptum exstat lib. 5. Decretalium.

Ceterum monasterij Alciacensis Aduocatus à primis initijs fuit Comes Flandriæ; ut liquet ex Balduini, cognomento Securis, Flandrorum Comitis diplomate, an. millesimo centesimo duodecimo, Audomaropoli dato:

Notum facio, quod ipsa die, qua Gv ALTERO terram suam reddidimus, Abbatiam S. Siluini, quæ apud Alciacum in honore Dei fundata est, tamquam vnam de Abbatibz terræ nostræ, in propria Aduocatia omnino retinuimus. Vnde ipse Walterus, tactis sacrosanctis reliquijs, in præsentia nostra iuravit, quod quidquid auunculus suus Engelramnus ecclesiæ suæ Alciacensi contulit, & quidquid eadem die, qua ipse terram suam à nobis suscepit, prædicta ecclesia possedit, quietè possidere permitteret.

Flandriæ Comitibus in dicta Aduocatia Comites Artesiæ successerunt: ut patet ex Roberti II. Artesiæ Comitis diplomate an. 1269. dato.

C A P V T X C I I .

Controversiam inter Canonicos & Scabinos Namurcenses de iurisdictione motam, Guido Comes Flandriæ & Marchio Namurcensis componit an. 1270.

NOs Gvido Comes Flandriæ, & Marchio Namucensis, notum facimus vniuersis, quod cùm discordia verteretur inter dilectos nostros, Præpositum, Decanum & Capitulum ecclesiæ B. Albani Namucensis, ipsius ecclesiæ Villicum, Scabinos seu Iudicatores ex vna parte, ac Maiorem Villicum, & Scabinos villæ Namucensis ex altera,

Super eo quod dicti Major & Scabini Namucenses dicebant ad ipsos debere accedere Scabinos seu Iudicatores ecclesiæ prædictæ, pro consilio habendo super suis sententijs proferendis, & quia ipse Major & Scabini Namucenses prædicti de sententijs à prædictis Scabinis seu Iudicatoribus ecclesiæ S. Albani prædicti prolati possent cognoscere, & easdem sententias confirmare vel infirmare, si ad eos super his fuerit appellatum, prædictis Præposito, Decano & Capitulo,

pitulo, Villico & Scabinis seu Iudicatoribus præmissa negantibus & contrarium affirmantibus.

Nos auditis rationibus utriusque partis, & inspectis priuilegijs ecclesiæ supradictæ, habito prudentum consilio, de communi consensu dictarum partium, super præmissis diffiniendo pronuntiamus in hunc modum;

Quod prædicti Scabini seu Iudicatores ecclesiæ beati Albani, si consilio indigeant super suis sententijs proferendis, non ad dictos Maiorem & Scabinos Namucenses, sed ad nos tamquam ad superiorem Dominum suum sæcularem, vel ad Baluum nostrum Namucensem, si præsentes non fuerimus, venire debent pro consilio obtinendo, & si à sententijs ipsorum Scabinorum seu Iudicotorum ecclesiæ beati Albani appellandum fuerit ad nos, vel ad Bailliuum nostrum prædictum, si præsentes non fuerimus, immediatè debeat appellari, ut sententiæ, à quibus appellatum fuerit, per nos vel Bailliuum nostrum, habentem à nobis speciale mandatum, confirmentur & infirmentur, prout de iure fuerit faciendum.

1270.

Datum in castro Namucensi, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo, secunda feria post Cineres.

N O T A T I O .

GUIDONIS, eiusque coniugis prioris Mathildis epitaphia in Flinneni virginum cœnobio, ord. Cistertienis, prope Duacum hodie que exstant: quæ ex Gallico Latinè reddita sic sonant: Hic situs est illustris & nobilis Princeps, Guido Comes Flandriæ, fundator huius loci: qui obiit captiivus Compendij, mense Martio an. 1304. & fuit allatus in hunc locum an. 1305.

Hic sita est nobilis & virtuosa domina **MATHILDIS**, Comitissa Flandriæ, domina Bethunie & Teneramondæ, vxor illustrissimi Principis Guidonis, Comitis Flandriæ, fundatoris huius ecclesiæ: quæ obiit anno

Altera Guidonis vxor **ISABELLA** Luxemburgica, an. 1298. die 25. Septembris decepsit, Petegemij iuxta Aldenardam sepulta, in monasterio Clarissarum à se condito.

Cæterum Guido Flandris 26. annis, Namurcensibus 34. annis præfuit, hoc est, usque ad an. 1297. quo Comitatum Namurcensem **IOANNI** filio suo ex Isabella primogenito cessit: ideoque in epitaphio suo non vocatur Comes Namurcensis.

E e e 3

Ioannes

Ioannes porrò Comes Namurcensis duas habuit coniuges; quorum prior Margarita, Roberti à Francia, Comitis Claromontani filia, an. 1308. obiit, altera Maria Artesiensis diu marito superites fuit. Ioannes Parisijs an. 1330. die Veneris ante festum Purificationis viuere desit, sepultus ibidem in templo Franciscanorum; ubi epitaphium olim habuit, ante noui templi extirptionem.

Ioanni successit filius primogenitus **IOANNES II.** illo nomine Comes Namurcensis: quod notat Cronendalius contra Meierum. Cum fratre suo Guidone in Terra sancta, & cum eodem, altero-que fratre suo Philippo in Prussia militauit. Inde rediens, in Germania an. 1335. decepsit, ibidem humatus, quinto principatus sui anno.

Ioanni II. successit **GVIDO II.** frater, qui similiter cœlebs obiit an. 1336. die 12. Martij, in Salesiniensi virginum cœnobio prope Namurcum conditus. Guidonis principatum exceptit **Philipus III.** Comes Namurcensis: de quo infra agemus.

C A P V T X C I I I .

Ioannes I. Brabantiae Dux, eiusq; frater Godefridus, Arschoti & Virsonij dominus, an. 1283. contractum ineunt cum Ioanne Riuira domino, super diuisione iurum in territorio Arschotano.

IOANNES Dei gratia Lotharingiae & Brabantiae Dux, & **GODEFRIDVS** eius frater, dominus de Arschot & de Virson, vniuersitas litteras visuris & audituris salutem in omnium Saluatorem.

Petuit à nobis dilectus fidelis noster, **IOANNES** dictus de **RIVIRA**, ius suum super vniuersis bonis & singulis, quæ tenens est & possidens infra allodium de Arschot, à iure nostro ibidem diuidi & distingui.

Et quoniam super ipso iure, inter nos & ipsum **Ioannem**, aliquando dissensio existiterit, volentes eidem gratiam facere specialem, & ut eō amplius ad nostrum se promptiore præbeat obsequium, per dilectos & fideles nostros, **Henricum de Louanio**, dominum de Herstallio, consanguineum nostrum carissimum, **Walterum Volckart**, milites, **Ioannem de Huldeberge** clericum, terræ Brabantiae redditum Receptorem, **Ægidium** dictum **Zuane**, Villicum

cum Thenensem, Scabinos & seniores villarum de Arschot, de Bethingeem & de Langdorp, dictum ius à iure nostro distingui fecimus & separari.

Ita quod vniuersos articulos & singulos, in hac charta subnotatos, eidem Ioanni recognoscimus esse veros. In primis siquidem recognoscimus ipsum Ioannem fore oriundum de Comitibus quondam de Arschot, ac de fratre maiore.

Item si quisquam suorum mansionariorum, commorans infra libertatem de Arschot, in Berthingeem, in Langdorp, in Weerde, in Testelt, in Ghielrode, in Villaer, Messelboeck, & in Vtheem, infra libertatem de Arschot ab aliquo conueniatur seu arrestetur, poterit ipse Ioannes super hoc Scabinos de Arschot monere, absque nostra vel alicuius alterius præstatione.

Et positis petitione & responsione inter partes, si Scabini super hoc non fuerint satis instructi, caput suum super hoc petendo, dictus Ioannes ipsos Scabinos ad caput suum dicere tenet: & cum redierint, sententiam, ab ipsis Scabinis super hoc prolatam, facere teneri, & emendam exinde leuare solus.

Item si Scabini in placito, coram ipso tractato, ab aliquo contradicantur, hoc ipse Ioannes iudicare tenetur, & emendam exinde prouenientem solus leuare, usque ad quadraginta quinque solidos.....

Item recognoscimus piscariam in Themera suam esse, de Werfoudre, vbi piscaria domini de Rotselare finitur, usque ad siluam quæ dicitur *Kluseren bosgelken*, quam Arnoldus de Staden tenens est. Item recognoscimus venationem, punctionem, & aucupium seu auium captionem, Teutonicè *Vogelen*, vbiique supra bona sua esse suas. Eo faluo, quod cum alijs nostris hominibus, aucupium de iure habentibus, inhibuerimus, ne cum retibus anates capiant, nostrum teneat mandatum in præmissis.....

Præterea libertatem opidi de Arschot, quemadmodum conscripta est, & sigillis nostrorum fidelium, videlicet Gerardi domini de Rotselare, Dapiferi Brabantie, atque Ioannis de Arschot, dicti de Pulchra curia, militum, nec non Ioannis de Huldenberge, dicti nostrorum reddituum Receptoris, & Egidij dicti Zuane, Villici Thenensis, sigillatam confirmamus & approbamus, ac in perpetuum ratam obseruare promittimus & inconuulsam.

Et

Et ut hæc vniuersa & singula, quemadmodum hic conscripta sunt, diuisa & ordinata, à nobis & nostris successoribus s̄pedicta Ioanni & suis successoribus perpetuò & inuiolabiliter inconuulsa teneantur, nos eidem præsentem chartam sigillis nostris tradidimus communitatam & sigillatam. Ad maiorem quoque omnium promissorum evidentiam & securitatem, rogauimus dilectos nostros & fideles, Henricum de Louanio, dominum de Harstallio, consanguineum nostrum dilectum, Walterum dominum de LIGNE, Walterum dictum Volkart, & Ivvanum de Meldaert, milites nostros, ut huic chartæ sigilla sua, vnâ cum sigillis nostris, apponant & appendant. Et nos

Henricus de Louanio, dominus de Harstallio,

Walterus dominus de LIGNE, Walterus Volkart,

Et Ivvanus de Meldaert, milites prædicti, ad preces & instantiam dilectorum dominorum nostrorum prædictorum, sigilla nostra, vnâ cum eorum sigillis, præsenti scripto duxiimus appendenda, ad maiorem evidentiam præmissorum. Datum anno Domini millesimo
1283. ducentesimo octogesimo tertio, in Natiuitate B. Ioannis Baptiste.

N O T A T I O N E S.

Autographum huius diplomatis adseruatur Louanij à Canonicis S. Petri in capella familiæ de Riuira: cui appensa vidimus sigilla quatuor maiora, equitem armatum exprimentia, videlicet Ioannis I. Brabantie Ducis, eiusque fratrī Godefridi Virsonij, Henrici de Louanio, & Walteri de Ligne, cum duobus minoribus sigillis, Walteri de Volcart & Ivvani de Meldart. Tria priora sigilla Leonem Brabantinum in clypeo repræsentant, quartum verò habet scutum cum barra, ut loquuntur, seu linea ab alto intersecante: quod hodieque proprium est insigne familiæ de LIGNE, apud Belgas nunc potentissimæ; utpote quæ Ducatum Arschotanum, Principatus de Arenberghe, Chimay & Barbanzon, Marchionatum de Roubaix, Comitatus de Beaumont, Aigremont & Seneghem, Baronias de Auesnes, Heuerle, Birbeke, Quieuraing, aliaque prædia amplissima hodie possidet.

ARSCHOT opidum Brabantiae ad Demeram fluum, tertio lapide à Louanio: quodolim Comites, paulò infra à me memorandos.

dos, habuit; nunc Ducali titulo gaudet, quo Guilielmum Croyum, Ceruiæ toparcham, Carolus V. Imp. decorauit.

VIKSON) opidum in Biturigibus, *au pays de Berry*, quod Godefri-dus Henrici III. Brabantia Ducis filius, Ioannis I. frater possedit ex parte vxoris: ut Dinterus, Diuæus, Haræus & alij rerum Brabantiarum scriptores fusè narrant.

RIVIRA) Flandris *Reusiren*, Gallis *Riniere*, vicus Brabantia, quem suis cum appendicibus hodieque possidet N. Comes de Her in agro Leodicensi prope Trudonopolim, ex vetustis Comitibus Arschotanis oriundus.

HARSTALLVM) seu Heristallum, Baronia & feudum Brabantia, ad Mosam fl. primo lapide à Leodico, insigne olim palatum habuit, quod Ducibus ac Præfectis Austrasie, Carolo Magno, Ludouico Pio, alijsque Principibus olim in delicijs fuit: hodie à Principe Arausionensi possidetur. Vide supra lib. i. cap. 64.

DE FRATRE MAIORE.) Exstat Affligemij diploma, à Godefrido Barbato, Lotharingia inferioris Brabantia que Duce, ann. 1125. scriptum, in quo sic loquitur: ARNVLVS Comes de Aderschot, cum duobus filiis suis, GODEFRIDO & ARNVLFO, in curia mea Louaniæ venit: & quidquid apud Buckenhout habebat in terris, filiis, aquis & pascuis, cum omni decima, ad opus Affligemensis ecclesie, in quo IOANNEM filium suum monachum fecerat, liberaliter dedit. Tellest fuerunt, Arnulfus de Grimbergis, Gerardus frater eius, Vorvvinus de Heuerle, & Reinerus filius eius, Sigerus de Wauera, Henricus de Bierbais, Henricus Loppoum, Henricus de Asca, Eustathius de Tiesch, Arnulfus de Rotselare, Dapifer, Arnulfus de Fitorch, Franco Castellanus Bruxellensis, Franco de Sclusa, & Alardus de Balterzem, nunc Bautersem.

Cæterum à Godefrido, Arnulfi Comitis Arschotani filio maio-re iam memorato, vt arbitror, originem seu stirpem traxit Ioannes Riuræ dominus supra laudatus, eiussque posteritas: quod quia hactenus latuit, visum fuit paulò fusiùs explicare.

CAPVT XCIV.

Arnulphus de Landast, dominus de Eynes prope Aldenardam, eiusque coniux Mathildis, ius patronatus ecclesiae Eynensis, olim in Tornacensi, nunc in Gandavensi diœcesi sitæ, cedit Abbatii Einhamensi, an. 1200.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego BALDVINVS Flandrensis & Hainoniensis Comes, notum esse volo tam præsentibus quām futuris, quod Arnulphus de Landast, dominus de Eynes, annuente vxore sua MATHILDE, ius patronatus & potestati conferendi præbendas, & quidquid iuris in ecclesia de EYNES habebat, ab omni penitus obligatione alienum, in manus meas sponte resignauit.

Ego autem, diuina inspirante clementia, & bonorum virorum super hoc habitu consilio, ad petitionem ipsius Arnulphi, illud idem, & totum quod mihi collatum erat, in potestatem & proprietatem ecclesiae de EIHAM integrè & plenariè transtuli & dedi. Et ut diuinum officium ibidem deuotiùs agatur, quatuor presbyteros, duos diaconos, quorum unus Magister scholarum erit, & unum subdiaconum, secundūm voluntatem Abbatis, ibi volumus institui.

Vt autem hoc ratum permaneat & firmum, & ne morbo obliuionis veniat in dubium, litteras istas scribi, & testimonio sigilli mei feci communiri. Actum est hoc præsente & consentiente vxore MARIA, Henrico fratre meo,

Willermo Aduocato de Betunia & domino de Tenremonde,
Arnulpho de Aldenarde, Rasone de Gauere,
Magistro Rogero Capellano meo, Gerardo de Roden,
Eustathio de le Mandre, Ostone Balgere,
Willelmo & Waltero Notarijs meis,
Rolino de Gant, & Gerardo Wamart, Officialibus meis, anno
1200. ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo. Datum per manum Gerardi Brugensis Præpositi, Cancellarij Flandriæ.

Idem

*Idem Arnulphus de Landast libertate donat aliquot seruos
& ancillas suas, an. 1222.*

Ego Arnulphus de Landast, dominus de Eynes, notum facio omnibus praesentes litteras inspecturis, quod ego mancipatos meos & ancillas meas, quos habebam in villa de Eynes, emancipauit sub hac conditione; quod ego habere debeo valentius caput, quod habebunt in morte sua; caput illud quod habebunt in sanitate sua, sicut ibunt ad forum & ad templum. Ita quod si discedant a villa, mei remaneant, sicut prius. Iti sunt quos emancipauit....

Hoc scriptum feci de assensu filiorum meorum, Gerardi & Arnulphi, qui mihi tamquam heredes succedent, in praesentia Walteri, Dei gratia Tornacensis Episcopi. Hoc cum factum fuit, praesentes fuerunt,

Personae de Eynes Petrus, Ægidius, Canonici eiusdem loci,
Beritus Capellanus, Walterus Custos,
Et homines mei, Willelmus Block, Eustatius de Erleghem,
Oliuerius Halba, Beritus de Ponte & Henricus.

Quod ut ratum sit in perpetuum, praesens scriptum feci sigilli
mei munimine roborari. Actum anno Domini millesimo ducen- 1222.
telimo vice simo secundo, mense Decembri.

NOTATIONS.

IN FLANDRIÆ Comitatu quattuor sunt primariæ Baronijæ, Cissoin, Eyne, Pamele & Boulaer; quæ Virsi Flandriæ, vulgò Bers de Flandres nuncupantur. Eyna, seu Heyna, prope Aldenardam sita, habet insigne presbyterorum S. Eligij collegium, à Gerardo de Landast, milite, ejusque coniuge Alborge, circa an. 1185. fundatum; quorum tumulus elatior ibidem hodieque spectatur.

Gerardi & Alborgæ filius fuit hic Arnulphus de Landast, qui
an. 1242. & diploma S. Martini Tornacensis signauit. Visiturque in
sigillo effigies equitis armati. Ex Mathilde coniuge liberos re-
liquit, Gerardum, Arnulphum & Aelidem.

Cæterum ex familia Landastensi, vulgo *Landas*, prodierunt domini de Landas & Warlaing prope Duacum, Barones de Fyne & Cisoin prope Insulas, domini de Louuegnies prope Bauacum, &

domini de Chin prope Tornacum. Est autem LANDAS vicus cum
arce, haut procul à Duaco situs, quem Philippus Pulcher Fran-
cum Rex an. 1313. Baroniae titulo decorauit.

C A P V T X C V.

*Naldeuici in Hollandia, à Guilielmo illius loci domino, collegium
VI. Canonicorum, in honorem S. Adriani, instituitur, &
à Guidone Ultraiectensi Episcopo confirmatur
an. 1307.*

VNiuersis præsentia visuris vel audituris, nos WILHELMVS de
Naelvvyck, miles, verus collator ecclesiæ ibidem, salutem
cum notitia veritatis.

Cùm ecclesia loci prænominati ad sustentationem plurium
competenter sit dotata, nos igitur, freti consilio proborum atque
discretorum, ad honorem Dei, eiusdem quoque gloriose genitri-
tis, B. Adriani patroni ibidem, atque Sanctorum omnium aliorum,
pro salute animarum parentum nostrorum, omniumque benefa-
ctorum dictæ ecclesiæ, viuorum seu mortuorum, omnes prouen-
tus dictæ ecclesiæ vacantis sex sacerdotibus, regulam Canonico-
rum obseruantibus, sub æquali participatione distribuendos, ad de-
seruiendum in perpetuum, in propria persona, purè contulimus,
propter Deum, sub forma subsequenti.

Quilibet ipsorum sacerdotum in sua septimana summā Missam,
cæterasque Horas decenter regat ac deuotè: reliquis verò diebus
quiuis aliorum, secundùm Decani ordinationem, ad Dei seruitium
fit idoneus & paratus. Curatus verò supra suam propriam portio-
nem, sex libras Hollandiæ, pro officio Curæ sibi deputato, recipiet
annuatim; & si necesse fuerit, quilibet aliorum ad sibi succurren-
dum fideliter fit paratus.

Iusuper quicunque sacerdotum ad Matutinas, ad Missam,
Vesperas, & ad Vigilias non venerit, duos denarios Hollandiæ
soluet: sed si ad alias Horas non venerit, pro qualibet Hora omis-
sa fit ad vnum denarium obligatus: & quidquid huic dirimetur,
una pars illius fit ad supplendum ornamenta; reliquam verò par-
tem recipient seruientes.

Similiter

Similiter quilibet sacerdotum stabilem residentiam in parochia prædicta faciet; nisi de licentia Decani paucis diebus exiuerit, negotium suum procurando: & quicumque horum publicè deliquerit, de prouidentia Decani sufficienter corrigatur. Concedimus insuper cuilibet prædictorum sacerdotum, post obitum suum, primum annum gratiæ pro debitis suis persoluēdis: si verò aliquid superfuerit, vna pars sit pro augmentatione communis prouentus, reliqua verò pars pro librorum seu ecclesiæ ornamentorum supplemento.

Volumus etiam omnibus modis, ne nos, vel aliquis nostrorum successorum, aliquam prædictarum præbendarum alicui conferamus, nisi idoneo sacerdoti; nec quis siue Decanus cum Canonicis, seu aliquis aliorum de vera collatione prædictarum præbendarum se intromittat, nisi nos & nostri successores. In cuius rei testimonium præsenti scripto nostrum sigillum duximus apponendum.

Reuerendo igitur in Christo patri domino nostro Guidoni, Dei gratia Episcopo Traiectensi, supplicamus humiliter & deuotè, quatenus suo consensu ac sigillo, ad honorem Dei, suprascripta dignetur confirmare.

Et nos Gydo, Dei gratia Episcopus Traiectensis, ad honorem Dei, atque eiusdem gloriose genitricis Mariæ, B. Adriani, aliorum quoque omnium Sanctorum, omnia suprascripta nostro consensu atque sigillo confirmamus. In cuius rei testimonium præsens scriptum nostro sigillo, vñā cum sigillo domini Wilhelmi de Naelvvyck, duximus roborandum. Datum anno Domini millesimo 1307: trecentesimo septimo, in die Luciæ virginis.

*Naldeuicensium præbendarum numerus usque ad XII. à Guilielmo,
illius loci domino, an. 1369. augetur, Ioanne Viernenbur-
gio Ultraiectensi Episcopo approbante.*

IOANNES de Viernenburch, Dei gratia Episcopus Traiectensis, dilecto nobis in Christo filio WILHELMO de Naelvvyck, Armigero, salutem in Domino sempiternam.

Vt in ecclesia collegiata de Naelvvyck, nostrę diœcesis, cuius ecclesiæ & præbendarum eiusdem dignosceris esse patronus, in diuini cultus augmentū, numerum augere valeas præbendarū, ipsifsq; præbendis particulariter vacantibus, propter excrescentiam fructuum,

cas diuidere, & de vna plures efficere (saluo iure superstium, quibus de hoc nolumus derogare, dummodo per industriam tuam & prouidentiam, personis, quibus eas conferes, satis idoneis, & competenter in temporalibus & in vitæ necessarijs subueniatur, in quo conscientiam tuam oneramus) præsentibus indulgemus.

Saluis ipsis adiectis de novo Canonicis, & ultra numerum antiquum, consuetudinibus, libertatibus & priuilegijs, per prædecessores nostros ac aliunde quæsitis & concessis eisdem: quibus eos novos & antiquos uniformiter gaudere volumus, & nunc & in ænum; iure nobis competenti, prout hactenus obseruatum est, semper saluo. In cuius rei testimonium, sigillum nostrum præsentibus

1369. duximus apponendum. Datum anno Domini millesimo trecentimo sexagesimo nono, mensis Maij die octaua.

NOTATIONES.

NAELDVVYCK) Naldeuicus, municipium Hollandiæ, prope Grauesandam, secundo lapide ab Haga Comitis, olim potentes habuit dominos, quierant hereditarij Marescalli Hollandiæ.

Ex his Guilielmus, miles, collegium sex Canonicorum Naldeuici an. 1307. instituit: quem numerum Guilielmus, Armiger, Guilielmi militis filius aut nepos, an. 1369. duplicauit. Sicque xii. Canonicis collegium Naldeuicense constitut, olim in Ultraiectensi, post in Harlemensi dicecesi.

Naldeuicense municipium, cum vicis adiunctis & arce vetusta, Honshole nuncupata, Carolus Comes Arenbergicus Henrico Saluio, Mauritij fratri, nunc Principi Arausionensi, vendidit.

CAPUT XCVI.

*Philippus Comes Namurensis, in S. Albani basilica, Capellaniam
an. 1336. fundandam curat, iuxta voluntatem & lega-
tum Guidonis fratris sui ac predecessoris.*

PHILIPPVS Comes Namucensis dilectis & fidelibus nostris, Preposito, Decano totique Capitulo ecclesiæ nostræ beati Albani Namucensis, ac alijs præsentes litteras visuris, in Domino salutem.

Cum

Cum dilectissimus frater noster dominus GVIDO, quondam Comes Namucensis, bonæ memoriae, in suo testamento & ultima voluntate, in qua deceperit, legauerit unum altare fundandum in dicta nostra ecclesia, & dotandum certis redditibus, videlicet de viginti quinque libris, grosso veteri pro duodecim denarijs computato:

Nos verò ultimæ voluntati dicti nostri quondam fratris carissimi satisfacere cupientes, ipsum altare iam per nos in dicta nostra ecclesia fundatum, in honore beatæ & gloriose virginis..... In cuius rei testimonium sigillum nostrum præsentibus litteris duximus appendendum. Datum anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo sexto, in vigilia beati Ioannis Baptiste.

1336.

N O T A T I O N E S.

IN GVIDONIS illo nomine secundi Comitis Namurcensis defuncti locum à popularibus suffectus, & domum reuocatus est PHILIPPVS frater. Is namque procul à patria tunc aberat, in Prussia scilicet militans cum Rege Noruegiæ, qui Blancam Philippi sororem duxerat. Exinde ad bellum Sacrum in Orientem profectus, Famaugustæ in Cypro insula, anno millesimo trecentesimo trigesimo septimo deceperit, ibidem apud Franciscanos conditus. De cuius ac fratrum obitu, ex veteri codice, Cronendalius in ms. Historia Namurensi hæc recitat:

1337.

Anno 1337. Philippus Comes Namurcensis moritur in ultramarinis. Et sic intra nouem annos tres fratres in Comitatu Namurensi sibi inuicem successerunt, quarto Guilielmo impubere succedente, & quinto Henrico iam defuncto, duobus adhuc minoribus Roberto & Ludouico superstribus, cum sorore, cuius maritus Comes Viennensis, cum dicto Phlilippo, in ultramarinis partibus est defunctus.

Philippo itaque defuncto frater GUILIELMVS in Comitatu Namurensi succenturiatus, his titulis usus est: Guilielmus à Flandria, Comes Namurensis & dominus Slusæ. Ex Catharina Sabauda, quæ an. 1388. obiit, duos sustulit filios, Guilhelmum & Ioannem, Namurenses ex ordine Comites. Decessit an. 1391. Namurci apud Franciscanos cum uxore conditus.

GUILIELMVS, Guilielmi filius, Slusæ in Flandria dominus viuente patre fuit, & an. 1384. iuxta Cronendalium, aut an. 1386.

iuxta

iuxta Meierum, Slusam Philippo Audaci, Burg. Ducis Flandriæque Comiti cessit, & pro illo opido Betuniæ accepit, titulo permutationis. Amotis monialibus, an. 1414. in MOLINENSI cœnobio monachos ord. Cistertiensis collocandos curauit, probante Martino V. Papa. Molinenſi huic cœnobio immediate subiecta est NISSLIA, sodalium ord. eiusdem Abbatia, in Gallo-Brabantia, à Christina Franckenbergia Abbatissa Niuellensi an. 1440. fundata.

Idem Guilielmus II. Comes Namurcensis, post Ludouici Malani Flandriæ Comitis sine prole mascula obitum, pro insigni gentilicio Leonem Flandricum sine banda, ut vocant, seu linea, sibi sumpsit. Duas habuit coniuges, Mariam Roberti primi Ducis Barrensis filiam, & Ioannam de Harrecourt, sed ex neutra prolem reliquit. Obiit an. 1418. Namurci in choro Franciscanorum sepultus. Ioanna vidua, Betuniæ, Bailleuli & Petengemij domina, an. 1455. die 15. Februarij demum deceſſit.

Guilielmo frater IOANNES in Comitatu Namurcensi & dominio Betuniæ subrogatus, cum nec uxorem, nec liberos haberet, an. 1421. dictum Comitatum Philippo Bono, Burg. Ducis vendidit, ea lege, ut euindem possideret, quamdiu in viuis ageret. Obiit an. 1429. Kalendas Martijs, Namurci in choro templi S. Albani humatus.

C A P V T X C V I I .

Pactum concordiae inter Ioannem III. Brabantia Ducem, & Ludouicum Niuernensem, Flandriæ Comitem; quod LXXX. viri nobiles, partim Brabantia, partim Flandriæ, suis sigillis firmarunt, an. 1339.

1339. **A**nno millesimo trecentesimo tricesimo nono, die 13. Decembris, inter Ioannem III. Brabantia Ducem, & Ludouicum Flandriæ Comitem, inita est pax seu concordia: cuius articulos, lingua Flandrica conscriptos (qui Bruxellis in curia Senatus Populique Bruxellenſis adseruantur) quadraginta nobiles Brabantia et totidem Flandriæ suis sigillis, hodieque integris, firmarunt.

IOANNES Dux Lotharingiæ & Brabantia, & Marchio,
Otto dominus de Cuyck,
Guilielmus dominus de Hornes & Gasebeke,

Thomas

Thomas de Diest, dominus de Zeelem,
 Guilielmus dominus de Wese male, Marescallus Brabantiae,
 Guilielmus van Duuenuorde, dominus de Oisterhout,
 Ioannes dominus de Rotselare, Drossartus Brabantiae,
 Ioannes de Loen, dominus de Agimont & Waelhem,
 Henricus Bertout, dominus de Duffle,
 Ioannes de Lefdale, Burgravius Bruxellensis,
 Guilielmus dominus de Boxtel, Ioannes dominus de Som-
 breffe,
 Ioannes de Kuyck, dominus de Hochstrate,
 Ludouicus dominus de Diepenbeke,
 Theodericus dominus de Walicourt & Aa, Marescallus Han-
 noniae,
 Henricus de Walicourt, dominus de Fauerchines,
 Ludouicus de Berlaer, dominus de Helmont,
 Ægidius de Quaderebbe, dominus de Bierge,
 Arnoldus van Hielbeke, Ioannes Pilysere,
 Ioannes van Kersbeke, Hermannus van Os,
 Ludouicus vander Borcht, Receptor Brabantiae,
 Ioannes de Meldert, Ioannes Pulleman, Drossartus Brabantiae,
 Ioannes de Wineghem, Daniel van Boechout,
 Henricus de Boutersem, Henricus van Waelhem,
 Rafo van Grauen, dominus de Lintere,
 Gofuinus dominus de Godsenhouen, Ivvanus de Meldert,
 Arnoldus vande Wiere, Willemus vanden Bosche,
 Gerardus van Vorlaer, Burgravius Geldoniensis,
 Ioannes de Immerseel, Golias de Viluorden, Vtenhoue,
 Ioannes van Crainhem, Ioannes van Schonhouen,
 Carolus de Riueren, & Walterus dominus de Melin, milites.
 Lvdovicus Comes Flandrensis, Nuerensis & Rethelensis,
 Henricus à Flandria, dominus de Ninoue,
 Philippus dominus de Axele,
 Simon de Mirabel, dominus de Piervveis,
 Gerardus dominus de Rasseghem & Lens,
 Rafo de Gauere, dominus de Heremais,
 Arnoldus de Gauere, dominus de Scoreffe,
 Ioannes de Gruthuse, dominus de Aa.

G g g

Rogerius

Rogerius Brifeteste, dominus de Bruxhem,
 Ioannes de Axele, Oliuerius dominus de Pouke,
 Willelmus de Neuele, Gosuinus vanden Moere,
 Wlfardus de Ghistelle,
 Gerardus de Rassegem, dominus de Crainhem,
 Ioannes de Houtere, Burgrauius Iprensis,
 Ioannes de Belle, Eustatius Pascaris,
 Rogerius de Lichteruelde, Zegerus de Drongene, dominus de
 Melle,
 Gerardus de Gistelle, Daniel de Rosebeke,
 Rogerius Brifeteste, Simon de Malstede,
 Rogerius de Waernevvyc, Gerardus de Moerscke,
 Willelmus vander Straeten, Ioannes van Poelworde,
 Ioannes van Massemine, Raso de Erpe, milites;
 Ioannes van Aishoue, Gisbertus de Leuvverghem,
 Gerardus de Massemine, Daniel de Drongene,
 Ioannes de Ersele, Ioannes vanden Moere,
 Arnoldus Baronaige, Ioannes de Huntsbeke,
 Ludouicus de Moerkercke, Hugo de Stelandt, &
 Ioannes de Loukerne, Scutiferi,

C A P V T X C V I I I.

*Tabula Cortebergenses à Wenceslao Brabantia & Luxeburgi Du-
 ce, eiusq[ue] coniuge Ioanna, an. 1372. edita, & à Braban-
 tie proceribus sigillata.*

IN curia Senatus Populiique Bruxellensis variæ exstant Tabulæ
 publicæ, quæ Cortebergenses dicuntur, à CORTEBERGA inter
 Bruxellam & Louanium sita: quo loco olim comitia Ordinum Bra-
 bantiae celebrari solent. His tabulis hodieq[ue] appensa sunt sigilla
 procerum, qui comitijs Cortebergensibus interfuerunt. Pro ex-
 emplo habe Tabulas à Wenceslao Brabantiae & Luxeburgi Duce,
 1372. eiusq[ue] coniuge IOANNA, an. 1372. editas, quas infrà scripti proce-
 res suis sigillis firmarunt:

Guilielmus à Namurco,

Robertus à Namurco, dominus de Beaufort & Ronay,

Ludoui-

Ludouicus à Namurco , dominus de Peteghem,
 Walrauus de Valkēborch, dominus de Borre, Zittert & Herpen,
 Theodericus de Hornes, dominus de Pervveis & Duffle,
 Svederus de Opcouwe, dominus de Putte & Gasbeke,
 Ioannes de Pollanen, dominus de Lecke & Breda,
 Reinoldus dominus de Schonuorst,
 Ioannes van Aa, dominus de Grimberges & Gruthuse,
 Ioannes de Boechout, Burgrauius Bruxellensis,
 Gerardus dominus de Vorsfclar, Burgrauius Geldoniensis.
 Ioannes dominus de Witthem,
 Gerardus vander Heyden, dominus de Boutershem,
 Bernardus dom. de Borgniual, & Ioannes Godeuaers, milites,
 Godefridus de Tronknap, Receptor Brabantiae.

*Electi ex parte Ducis & Ordinum Brabantiae, in concilio
 Cortebergensi.*

Ioannes de Loon, dominus de Agimont, Walhain & Ghete,
 Ioannes dominus de Rotselare, Ioannes de Haesbeynen,
 Arnoldus de Craienhem, dominus de Grobbendonck.

Barones & milites Brabantiae.

Lvdouicus de Harrecourt , dominus de Chastelbrian & Ar-
 schot,
 Robertus dominus de Rumpst, Henricus dominus de Diest,
 Guilielmus dominus de Wefemale, Marescalcus Brabantiae,
 Ioannes dominus de Petershem,
 Godefridus dominus de Herdevvemont, Hoelen & Opvelpe,
 Henricus dominus Bergarum ad Zomam,
 Ioannes dominus de Marbais, Ioannes dom. de Sombreffe,
 Alardus dominus de Reue, Osto dominus de Tralegnies,
 Henricus dominus de Diepenbeke & Lens,
 Ioannes de Grimberges, dominus de Asche,
 Franco de Halen, dominus de Lillo & Monte S. Wiberti,
 Raso de Riuieres, dominus de Neder-lintere,
 Florentius de Stalle, dominus de Riuieres,

G g g z

Daniel

Daniel de Bochout, dominus de Hoenbeke & Loenhout,
 Henricus de Quaderebbe, dominus de Bierges,
 Osto de Wedergrete, dominus de Eygene,
 Ioannes dominus de Glimes, Ludouicus dominus de Dongel-
 berghe,
 Gilbertus de Grauen, Arnoldus de Molenbais,
 Arnoldus de Opperbais,
 Godefridus, Ioannes & Carolus de Immerselc, fratres,
 Ioannes de Beere, Walterus de Duffle,
 Florentius & Iacobus de Duffle, fratres,
 Costinus de Berchem, Ioannes de Ranst,
 Ioannes de Schoonhouen, dominus de Zundert,
 Ioannes de Meldert, Golias vander Tommen,
 Ioannes Piylser, Ioannes van Ophem,
 Ioannes van Hamme, Ioannes de Waure,
 Morelius de Ripensaert, & Ioannes vanden Bisdome, milites;
 Walterus dominus de Edingen, Ioannes dominus de Cranen-
 donck,
 Ioannes dominus de Cuyck, Ioannes dom. de Megem,
 Ioannes de Berlaer, dominus de Helmont,
 Ioannes dominus de Heuerle, Camerarius Brabantia,
 Guilielmus dominus de Boxtel & Wauere, Scutiferi.

C A P V T X C I X.

*Fœdus unionis inter Brabantos & Limburgenses an. 1415.
 initum; ex Flandrico Latinè redditum.*

In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, amen. Omnibus
 præsentes litteras visuris & audituris salutem in Domino.
 Ioannes Gemblacensis, Ioannes Haffligenensis,
 Rolandus Vliderbecanus, Otto Villariensis,
 Petrus S. Bernardi ad Scaldim, Arnoldus sancti Michaelis Ant-
 uerpiæ,
 Gerardus Parcensis, Ioannes Helissemensis,
 Ioannes Auerbodiensis, Ioannes Tungerloensis,
 Ioannes Grimbergensis, Gisbertus Lettenensis, ABBATES;
 Ioannes

Ioannes de Luxembourg, Comes de Conuersan & Brienne,
 dominus de Enghien,
 Engelbertus Comes de Nassau, dominus de Lecke & Breda,
 Iacobus dominus de Apcoude, Gasbeke, Putte & Stryen, Mare-
 scallus hereditarius Hannoniæ,
 Guielmus Comes de Zeyne, dominus Rodæ S. Agathæ,
 Engelbertus de Enghien, dominus de Rameia, Folie & Tu-
 bise,
 Thomas dom. de Diest & Zichene, Burgravius Antuerpiensis,
 Ioannes dominus de Wesemale & Phalaïs, Marescallus heredi-
 tarius Brabantia,
 Ioannes de Rieu, Magister de Chantrain,
 Henricus de Boutershem, dominus Bergarum ad Zomam,
 Henricus de Bergis, dominus de Grimberges & Melin, eius
 filius,
 Ioannes de Schonvorst, Burgravius de Mondouven, dominus
 de Flamengerie & Waley,
 Ioannes dominus de Rotselare & Borselare, Oeconomus here-
 ditarius Brabantia,
 Ioannes de Cuyck, dominus de Hochstrate,
 Ioannes de Hornes, dominus de Pervveys,
 Iacobus dominus de Ghete, Iacobus dominus de Sombreffe,
 AnceImus dominus de Trasgnies,
 Engelbertus de la Marck, dominus de Louuerual & Vogelen-
 sanck,
 Raso de Riuiere, dominus de Neder-Linter,
 Guielmus van Meerhem, dominus de Boxtel,
 Ioannes filius de Diest, Ioannes filius de Wesemale,
 Henricus vander Lecke, dominus de Hezevvyck,
 Ioannes de Berlaer, dominus de Helmont & Keerberghe,
 Simon dominus de Sangueles, Henricus dominus de Heuerle &
 Goyke, Camerarius hereditarius Brabantia,
 Arnoldus de Crayenhem, dominus de Grobbendonck,
 Daniel dominus de Bouchout, Huenbeke & Loenhout, Burgra-
 uius Bruxellensis,
 Ioannes de Grimberges, dominus de Affche,
 Alardus dominus de Reuie, Ioannes dominus de Marbais,

G g 3

Ioannes

Ioannes dominus de Witthem, Henricus de Witthem, eius
 frater,
 Ioannes de Diest, Henricus de Diest, dominus de Rienien,
 Eustathius dominus de Vertain, Ioannes dominus de Meghem,
 Robertus de Sponty, dominus de Waure,
 Libertus de Meldert, dominus de Brudelingen,
 Walterus de Kersbeke, dominus de Godtsenhouden,
 Henricus de Rotselare, Ioannes van Aa, dom. de Hoighstain,
 Ioannes de Witthem, dominus de Boutershem,
 Gerardus de Berges, dominus de Merxhem,
 Ioannes van Halen, dominus de Lillo,
 Ægidius de Bouchout, Walterus de Winge,
 Raſo de Lintere, Rogerius de Petershem, dom. de Lefdale,
 Ioannes dominus de Petershem, Theodericus de Merhem, fi-
 lius de Boxtel,
 Ioannes dominus de Huldeberghe, Robertus de Assche,
 Ioannes van Ranft, dominus de Mortzele & Canticrode,
 Henricus de Ranft, dominus de Keffel,
 Ioannes dominus de Glimes, Ioannes dom. de Dongelbergh,
 Raſo van Graue, dominus de Maleue,
 Willelmus van Ranft, dominus de Vrumde & Milleghem,
 Henricus de Wailham, Philippus dominus de Geldorp,
 Theodericus de Haestricht, dominus de Venloen,
 Gulielmus van Ghent, dominus de Meervvyck,
 Ioannes van Lier, dominus de Nordervyck,
 Ioannes de Kersbeke, Ioannes dominus de Lismal,
 Gerardus de Lintere, Willelmus de Montenake, dominus de
 Graſe,
 Ioannes de Baronaige, dominus de Percke,
 Ioannes vanden Bosch, Burgraius Furensis,
 Ioannes dominus de Wanghe, Balduinus van Graue,
 Arnoldus de Goldenaken, Simon de Coudenbourgh, dominus
 de Oplintere,
 Ioannes de Diedeghem, Henricus van Colem,
 Arnoldus vandē Houte, Nicolaus de Zvvaef, Ioannes de Zvvaef,
 Walraus vander Delft, dom. de Borchvliet & Hogherheyden,
 Arnoldus dominus de Immersele & Hameyden,

Henricus

Henricus Dicbier, dominus de Mierle,
Ioannes dominus de Schonhouen, Ioannes van Schonhouen,
Guilielmus vanden Berghe, dominus de Orbais, Burgrauius
Geldoniensis,
Henricus dominus de Grongsfelt & Ringberch,
Adamus vanden Berghe, dominus de Leinborch,
Andreas de Merode, dominus de Frankenberch, Burgrauius
Limburgensis,
Ioannes Hoen van Vuerendalen, Nicolaus Hoen, dominus de
Broeke,
Reinerus van Berghe, dominus de Geul, Ioannes de Hulsberg,
Reinerus dominus de Nuvverborch, Gosuinus Beghyn,
Daniel Hoen, Reinardus vanden Nuvverborch,
Ioannes Huyn de Emstenraed,
Godefridus Dobbelstein van Dodenrode,
Gosuinus de Cortenbach, Reinerus de Hulsberch,
Theodericus van Berghe, Gerardus de Cortenbach,
Arnoldus van Seuel, Gosuinus van Seuel,
Gerardus van Eylhout, Guilielmus de Rodenbock, dictus Stoef-
berch,
Adamus van Guittichouen, Franco van Halsberch,
Wernerus vanden Berbome, Gerardus van Coldenberch,
Franco van Bulstert, Leonardus van Roosbeck,
Conradus van Bensenrode, Arnoldus van Hoeven,
Christianus van Rincberge, Gerardus de Petershem,
Arnoldus van Eldren, Ponius van Welkenhuyzen,
Henricus van Welkenhuyzen, dominus de Clermont,
Wernerus de Grongsfelt, Balduinus de Mon-Iardin,
Gerardus vanden Bongart, Eustathius vanden Bongart, Ada-
mus vanden Bongart,
Guilielmus dominus de Argenteau, Petrus van Cortenbach;

Burgimagiſtri & Scabini opidorum

L ouaniensis, Bruxellensis, Antuerpiensis, Buscoducensis, Tra-
iectensis ad Mosam, Thenensis, Leeuvenensis, Nieuwensis, Die-
stensis, Herentallensis, Lirensis, Arschootensis, Bredensis, Siche-
nensis,

nensis, Bergizomensis, Steinbergensis & Geldoniensis, item Limburgensis, Falcoburgensis, Dalhemiensis, Rodensis, Wassenbergensis, Gangeltenensis, Millensis, Vuchtenensis, Kerpensis, Lomefhemensis & Spremontensis, salutem in Domino.

Notum sit omnibus, nos in bonum & commodum nostri Ducis
IO ANNIS, qui est primogenitus **ANTONII** quondam Ducis nostri,
 piæ memorie, vñanimiter inter nos conclusisse, quod futuris tem-
 poribus perpetuò manebimus vñiti & indiuisi; quodque pro de-
 fensione Ducis nostri & patriæ omnes & singuli viam & bona no-
 stra impendemus... In quorum fidem sigilla nostra his litteris ap-
I415. pendit iussimus. Datum anno millesimo quadringentesimo decimo
 quinto, die 4. Nouembris.

N O T A T I O.

BRABANTIA & Limburgi, aliarumque Transmosanarum pro-
 vinciarum Ordines, ab insidijs hostilibus sibi metuentes, an. 1415.
 itedus istud inter se inierunt, cum **ANTONIUS** Burgundus, Brabantia & Limburgi Dux, Philippi Audacis filius, pro Francis contra
 Anglos pugnans, in prælio Blangiensi cecidisset; duobus filijs mi-
 norenibus post se relictis, **IOANNE IV.** Louaniensis Academiz
 conditore, & **PHILIPPO.** Quibus sine sobole defunctis, fratreue-
 lis **PHILIPPVS BONVS**, Burgundiæ Dux Flandriæque Comes, an.
 1430. successit.

C A P V T C.

*Maximilianus Bergius, Cameracensis Episcopus, in Campania Bra-
 bantia & Gelense Canonicorum collegium an. 1562. instituit;
 petente Henrico Merodio, VVesterloæ, Petersemij,
 Lefdalia, Duffelia ac Gelæ domino.*

MAXIMILIANS à Bergis, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Epi-
 scopus & Dux Cameracensis, sacri Imperij Princeps, Comes
 Cameraceſij, vniuersis & singulis præsentes inspecturis salutem
 in Domino.

Inter varias sollicitudines, quibus vndique noster circumseptus
 est

est animus, illa præsertim nostro insidet cordi, ut ea quæ pro diuini cultus augmentatione, veterisque nostra religionis Catholicae conservazione prouidè constituta sunt, nedum nostris sint firma temporibus, sed & posteris quoque illibata persistant, pro nostri officij pastoralis debito solerter intendamus.

Sanè nuper dilectus nobis in Christo, nobilis & generosus dominus, HENRICVS à Merode, Baro de Merode, Petersem, Peruvves, Dussele & Lefdale, dominus de Westerlo, Gele &c. sua nobis supplicatione exposuit;

Qualiter alias bona memoria ROBERTVS de Croy, eadem gratia Episcopus & immediatus prædecessor noster, dum vixit, ad humilem & denotam supplicationem nobilium & generosarum perlongarum, MARGARETA de Melun, relictæ quondam domini Ioannis à Merode, etiam Baronis de Merode, ac domini IOANNIS à Merode, filij ipsorum vnici, eiusque conthorali dominæ ANNÆ de Gi-stella, septem Horas canonicas, in facello beatæ DIMPNÆ virginis & martyris in libertate GELENSI, per nouem presbyteros, ac Rectorem scholarium, & quattuor chorales decantandas, nec non Vicarios, qui per eosdem nouem presbyteros, & Rectorem scholarium, quorum unus Director nuncupatur, auctoritate ordinaria crexit & instituit;

Proque illarum erectione, fundatione & dotatione, personatum ecclesie Diuorum Amandi & Dimpnæ, cuius collationem seu presentationem dictus quondam dominus Ioannes à Merode, occasione dominij sui temporalis dictæ libertatis, ad se spectare prætentebat, perpetuò suppressit & extinxit;

Illijsque, necnon certorum aliorum beneficiorum fructus, reditus & prouentus, multaque alia bona temporalia, per præfatos supplicantes & fundatores ad effectum prædictum donata & relictæ, eidem facello perpetuò applicauit & incorporauit, confirmatione Apostolica desuper subsecuta, ac iure patronatus laicalis dicto domino temporali loci, pro tempore existenti, tam Apostolica quam ordinaria auctoritatibus perpetuò reseruato, prout hæc & alia in litteris desuper confessis latius constare dignoscuntur.

Verum cum extra præfataam erectionem dictarū Vicariarum, fructus non parum aucti sint, ipsaque libertas Gelen sis locus sit admodum populosus, & facellum prædictum valde celebre, & ad quod

H h h

quam

quām plurimi, ab immundis & malignis spiritibus obsessi, confluere, atque inibi per Dei gratiam liberari solent, si præfatum scellum in collegiatam erigeretur ecclesiam, ex hoc profecto diuinus cultus & populi deuotio non parum augeri operarentur, dictarumque Horarum canonicarum institutio magis ac magis stabilitur & consolidaretur.

Ac proinde etiam ipse dominus HENRICVS, pro augmento fundationis dictarum Horarum canonicarum, & vt Decanus & Canonici eiusdem ecclesiæ collegiatæ, nouiter erigendæ, iuxta status sui exigentiam & honestatem, commodiùs sese intertenere, ac diuinis officijs vacare possent, & redditum annum & hereditarium centum Florenorum Rhenensium communium, quolibet ad vijinti stuferos monetæ Brabantia æstimato, dictæ futuræ ecclesiæ collegiatæ, seu Decano & Canonicis eiusdem ecclesiæ donare paratus esset, & ex nunc ad effectum nouæ erectionis eiusmodi, & non aliter, sub certis modis & conditionibus, in instrumento publico desuper confecto latius expressis, donatione inter viuos irreuocabiliter donauit.

Quapropter idem dominus Henricus nobis humiliter supplauit, vt antedictum scellum in ecclesiam collegiatam, ac Vicarios in Decanum & Canonicos, iure patronatus, ac alias sibi & successoribus suis, iuxta modum & formam dictæ primæ fundationis, erectionis & institutionis, similiter reseruato, creare & instituere dignaremur.

Nos itaque viso ac diligenter inspecto tenore dicti instrumenti donationis, & considerantes præterea fructus, redditus & prouentus dictarum Vicariarum, citra illarum primævam fundationem & erectionem, non parum auctos esse, maturis super his deliberatione & consilio præhabitibus, ad præfati nobilis & generosi domini Henrici à Merode Baronis, domini libertatis Gelenſis, humilem & deuotam supplicationem & instantiam, in honorem Dei omnipotentis, beatissimæ Mariæ virginis, ac S. Dimpnæ virginis & martyris, scellum prædictum in COLLEGIATAM ecclesiam, ac Vicariias in Canonicatus & præbendas, auctoritate nostra ordinaria, erigendum duximus & erigimus; dictosque Directorem & Vicarios in Decanum & Canonicos, qui simul vnum corpus seu Capitulum facient, creamus & instituimus per præsentes, ipsosque Decani.

&

& Canonicorum titulis, insignijs, honoribus & præminentijs decoramus;

Iure patronatus, & quolibet alio iure dicto domino temporali loci, eiusque successoribus, iuxta normam & formam in antecedente primæ fundationis & erectionis litteris contentam, quo ad collationem, institutionem & destitutionem illorum, ac alias perpetuò reseruato; prout & nos quoque auctoritate nostra prædicta eidem domino loci, pro tempore existenti, perpetuò reseruamus:

Sic tamen, vt si ex aliorum quoque Christi fidelium deuotione seu liberalitate, contigerit fructus, redditus & prouentus dicti collegij tantum augeri, quod ad duodecim Canonicatum & præbendarum numerum sese extendere possent, dictum collegium eò usque deberet & posset augmentari:

Et si quis Canonicorum, presbyterorum vel aliorum Christi fidelium, bona sua vel redditus valoris centum florenorum Rhenensium communium, ad præbendam vnam in dicta ecclesia fundandam contulerit, quod is possit vnum notum & idoneum sacerdotem vel clericum ad Canonicatum & præbendam nobis seu successori nostro, pro tempore existenti, præsentare: quem quidem per nos admissum ipse Decanus & Capitulum recipere debebunt (cum bonis ad illum, vt præmittitur, collatis) in Canonicum & confratrem.

Statuentes & ordinantes, quod prefatus Decanus pro tempore curam habebit animarum dictorum Canonicorum, suorum confratrum, ac Rectoris Scholarium, Custodis, & familiarum suorum domesticorum, aliorumque dictæ ecclesiæ ministrorum, actu servientium, illisque ac peregrinis & ægrotis, eò confluentibus & degentibus, quoties illa petierint, per se vel Vicarium suum, ecclesiastica ministrabit Sacra menta.....

Item similiter statuimus & ordinamus, quod prefatus Decanus & Canonici singulis annis tenebuntur celebrare duo anniuaeria: quorum quidem alterum singulis annis eo die, quo ipsum dominum Henricum ab hoc seculo migrare continget, & alterum in die obitus quondam dominae FRANCISCA de Brederode, sue conthorialis, die 7. Martij celebrabunt.

In quorum omnium fidem & testimonium præsentes litteras manu nostra signatas conscribi, & per fidelem nobis dilectum

H h h 2

Consilia-

1562. Consiliarium & Secretarium nostrum subscribi, nostrique sigilli munimine iussimus roborari. Datum & actum Bruxellæ, dictæ nostræ diœcesis, anno à nativitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, Indictione quinta, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Pij diuina prouidentia Papæ quarti anno tertio.

N O T A T I O N E S.

In eadem Campania Brabantia HENRICVS à Bauaria, electus Episcopus Leodicensis, ecclesiam EINDOVENSEM in collegiatam IX. Canonicorum, an. 1399. erexit; petente Guilielmo à Milenberch, eiusdem opidi, itemque Septem Fontium & Cranendonci domino, & dorem augente Ioanna Brabantia Ducissa.

HOC USTRATI item anno 1531. CLEMENS VII. Papa in parochiali S. Catharinæ templo Canonicorum XII. collegium instituit; Antonio Lalaino, primo Comite Hochstratano, eiusque consorte Isabella Culenburgica, postulantibus ac dotantibus. Ex his præbendarum quattuor collatio ad Decanum & Canonicos Antuerpienses pertinet, reliquarum vero ad Comitem Hochstratanum.

IOANNIS à Merode.) Ad tollendam confusionem, breuiter Merodiorum (ex quo Westerloam cum appendicibus possederunt) stemma, suprà pag. 226. propositum, hic repetam, & pro parte emendabo.

1. RICHARDVS Merodij & Frentzij in agro Iuliacensi dominus, Comitatum de Oelen, Westerloam, & alia pagi Riensis seu Campania Brabantia prædia, à Wesemalijs Baronibus titulo emphiteutico dudum possessa, primus ex sua familia in emphiteutis ab ecclesia Ultraiectina accepit: quæ etiamnum Philippus Meroditis, Marchio Westerloæ, possidet. Idem Richardus ex Beatrice, Petersemij, Lefdalie, Hiluaribeca & Oirschot herede, filios sustulit Ioannem, Richardum Houfalisica seu Treslonga & Frentzij stirpium conditorem, & Guilielmum: à quorum postremo Warouxij siue Comites de Osoigne in diœcesi Leodicensi, Barones de Duffel, domini de Iehay, S. Peetershouck, Rummen & alij genus suum trahunt.

2. IOANNES, Richardi primogenitus, ex Aleide Duffelij & Peuvjeti

Iuvveti herede, Ioannem, & Richardum Petersemij dominum,
Margaritæ Hornanæ maritum, procreauit.

IOANNES II. Merodius, Ioannis & Aleidæ filius, Westerloæ &
Gelæ dominus, cum vxore sua Margarita Melunia, ibidem in
templo extra chorum conditus iacet.

IOANNES III. Ioannis & Margaritæ Melunæ filius unicus,
cum dicta matre sua, & vxore Anna Gistellia, domini de Dutzele
apud Flandros filia, Gelense Capellanorum fodalitum, per Ro-
bertum Croyum Cameracensem Episcopum, an. 1532. instituen-
dum curauit, & obiit non relictæ sobole.

Ioanni itaque sine liberis mortuo successit HENRICVS Me-
rodius, Richardi & Margaritæ Hornanæ, paulò ante nomina-
torum filius, qui Gelense Capellanorum fodalitum in Cano-
nicorum IX. collegium, per Maximilianum Bergium, Episco-
pum Cameracensem, anno 1562. vertendum curauit. Vxor
ipsi fuit Francisca Brederodia (cuius suprà in diplomate fit men-
tio) & ex ea filij duo, IOANNES IV. & Walraus Baro Lefdalæ,
ac filiæ totidem, ut suprà lib. 1. cap. 97. pag. 226. diximus. Hen-
rici & Francisca tumulus magnificus visitur Gelæ in choro Ca-
nonicorum: quorum posteritatem vide suprà loco iam citato.

F I N I S.

IN-